S. RITUUM CONGREGATIO.

I.

NULLIUS

MONTIS CASSINI, S. PAULI DE URBE
ET
SS.MAE TRINITATIS CAVEN.

R.mi Abbates Ordinarii Nullius Montis Cassini, S. Pauli de Urbe et SS.mae Trinitatis Caven. a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII humillime efflagitarunt, ut sibi suisque successoribus confirmare in perpetuum dignaretur ius interveniendi suffragiumque ferendi in Consistoriis semipublicis Beatorum Canonizationi praeviis: eo vel magis quod ipsi auctoritate Ordinaria conficere possunt Processus informativos in Causis Beatificationis et Canonizationis, atque eorum antecessoribus intimatio pro supradictis Consistoriis semel atque iterum facta fuit, ipsique revera interfuerunt et votum dederunt. Placuit vero Eidem Sanctissimo Domino Nostro huiusmodi negotium Sacrorum Rituum Congregationi examinandum et discutiendum committere. Quae Summi Pontificis mandato obtemperans, praehabitis una cum informatione suffragiis, etiam praelo impressis, tum alterius ex Iuris Canonici Professoribus, tum Apostolicis Caeremoniis Praefecti, tum demum Commissionis Liturgicae, in

Ordinario Coetu, subsignata die ad Vaticanum coacto, praefatam quaestionem, ab infrascripto Cardinali Sacrorum eidem Rituum Congregationi Praefecto propositam atque accurato examine discussam atque perpensam, ita resolvendam esse censuit: **Consulendum Sanctissimo pro concessione privilegii singulis petentibus**. Die 5 Februarii 1901.

Facta postmodum de his omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per ipsum infrascriptum Cardinalem relatione, Sanctitas Sua resolutionem Sacrae Ipsius Congregationis ratam habens, privilegium adstandi suffragiumque ferendi in praedictis Consistoriis semipublicis, non solum tribus Abbatibus Oratoribus, sed etiam aliis Abbatibus Nullius singulatim petentibus indulgere dignata est. Die 9 Februarii 1901.

Loco ✣ Sigilli

Dominicus Card. Ferrata
Sacrae Rit. Congr. *Praef.*
† Diomedes Panici *Archiep. Laodicen. Secr.*

II.

HISPANIAE.

Ab hodiernis Calendariorum redactoribus quarundam dioecesium Hispaniae Sacrorum Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna declaratione humiliter expositum fuit, nimirum :

An Festum particulare Sancti Angeli Custodis Regni sit primarium vel secundarium?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicae etiam typis impresso, in Ordinariis Comitiis die 5 Februarii vertentis anni 1901 ad Vaticanum habitis, proposito dubio per infrascriptum Cardinalem ipsius Sacrae Congregationi Praefectum, omnibus accurate perpensis, respondendum esse censuit: *Negative* ad primam partem; *Affirmative* ad secundam.

Quam Sacri Consilii resolutionem SS.mo Domino Nostro Leoni Papae XIII per ipsum infrascriptum Cardinalem relatam Sanctitas Sua probavit et confirmavit. Die 9 Februarii 1901.

Loco ✣ sigilli.

Dominicus Card. Ferrata
Sacrae Rit. Congr. *Praef.*
† Diomedes Panici *Archiep. Laodicen. Secret.*

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

III.

DE CAPPA CANONICALI.

Candidus quidam Canonicus est Cathedralis Ecclesiae, cui plura ab Apostolica Sede privilegia concessa fuere, inter quae Cappae delatio. Cum autem

saepe is per dioecesim suam aliasque divini verbi panem populis frangere, dispensatione a choro obtenta, consueverit, infinitae super dictae Cappae usu quaestiones exsurgunt. Quas nihilominus spernens Candidus, privilegio deferendi Cappam super rochetto continuo utitur in pluribus functionibus sacris. Hinc non solum in sua Ecclesia, sed et in Ecclesiis dioecesis, ad quam pertinet, aliisque alienis cum Cappa concionatur, super quam stolam imponit, cum Cappa processionibus invitatus assistit, confessiones fidelium excipit, et Eucharistiae administrat Sacramentum. Immo aliquando, contra morem et uniformitatem, eo usque devenit, ut ad Crucis adorationem perrexerit a clerico adsociatus, qui Cappae caudam, quam Candidus explicaverat, sustentabat. Quaeritur:

1. *Quid sit Cappa canonicalis, quo illius origo et usus ascendat, et num aliquid symbolice, quidque significet?*

2. *Quid de usu Cappae canonicalis, sicut aliorum Insignium, quibus Capitula decorata quandoque fuerunt, dicendum veniat, loci, functionum temporisque adiunctorum circumscriptione inspecta?*

3. *Quid de singulis iudicandum, ut in casu?*

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. Andreae Ferrari, Almi Collegii Capranicensis alumni, habita in S. Aede Congr. Missionis, prope Curiam Innocentianam die 16 Ianuarii 1901; acta Epitome per R.mum Dom. Felicem Ravanat.

I. Quid sit Cappa canonicalis, quo illius origo et usus ascendat, et num aliquid symbolice, quidque significet?

Cappa canonicalis illa est vestis ecclesiastica, benedictione non indigens, ampla et longa, pellibus aut serico tecta, iuxta temporis exigentiam, iure aut privilegio adhibenda. Cappa eiusmodi si quod Capitulum Canonicorum utitur, haec in chorali Officio ceterisque ecclesiasticis capitularibus functionibus induitur.

Cappa, ab origine, ex Gemin. *(lib. I, c. 127)*, vestis fuit cantorum propria. Iuxta Macrium (Hierolex. ad voc. *Cappa*), vera eius origo derivatur a veterum Penulis; habebant enim olim hae Penulae *Capucium* tamquam caput operiens, et ab eo *Cappae* vocatae fuerunt a latino *Caput*, vel iuxta S. Isidorum Hispalensem *(lib. 39, Origi. cap. 3)* a verbo *Capere*, quia hominem totum operiebant. Non solum laicis, prosequitur idem Macrius, sed et mulieribus communes erant, nec plane liquet quo coeperint tempore distingui Cappae, quae nonnisi choro servirent, *Cappae chorales* (ita a Matthaeo Parisio in hist. distinctae), *pellibus subsutae*, ab illis, quae communi erant in usu. Non tamen soli Clerici in Choro cantantes Cappas ferunt, sed et hominibus coniugatis cantum scientibus conceduntur (Bocquillot, *Liturg. sac., pag. 162)*. Ait Mabillonius, illarum originem inveniri sub Regibus Merovingis. Carolus Cointius et Gulielmus Peiratius usurpatas primum fuisse opininati sunt ex monachali veste, sub Regibus Carolingis. Monachale indumentum, ad divinum ministerium adhibitum, *Cappa* appellatur in Testamento Leodebodi Abbatis et Fundatoris Monasterii Floracensis. Epocha testamenti ad annum 641 assignatur. In eo legatur: « Basilicae domni Aniani, vel Monachis ibidem deservientibus sandalia. Ad Missas et oralia ad mensam cum Cappis et omni apparatu, et vela acu picta. Ista omnia ut in potestate et dominatione ipsius monasterii, et monachorum ibi-

dem Deo servientium perenniter maneant ». Francorum Reges, antequam ad bellum pergerent, induere solebant quandam *Cappam Sancti Martini*, uti videre est in Epistolis Walphridi Strabonis, et Monachi Sangallensis. Ex dictis patet Cappae nomen quibusdam indumentis, tam laicorum, quam monachorum et clericorum attributum fuisse.

Quod ecclesiasticum usum respicit, S. Gregorius Turonensis in suis scriptis meminit de Casula S. Nicaeti Episcopi Lugdunensis, his verbis: « Cappa autem huius indumenti ita dilatata erat atque consuta, ut solent in illis candidis fieri, quae per Festa Paschalia humeris imponuntur ». Haec Casula similis erat *amphimalo*, seu cuidam albae Casulae, et apud eumdem S. Gregorium saepe *Cappa*, *capsa* et *cucullus* audit. Adhibebatur Cappa et ad usos profanos, ac praecipue ad caput cooperiendum, sub hyemalibus frigoribus. Persaepe legere datur in antiquis scriptoribus nomen *Pluviale* pro *Cappa*. Ab origine Pluviale pallii species erat, quo defendi posset a pluvia, et ideo hoc indumentum ex posteriori parte *capucium* habet pendens, nam et in processionibus extra Ecclesiam solebat, prout etiam nunc, deferri. Gallica vox *Chappe*, qua *Pluviale* significatur, huius originem a Cappa demonstrat. Posterioribus saeculis, Cappae nomen pluries invenitur in Synodis et apud scriptores, qui de sacris indumentis pertractant. Constat ex variis monumentis Cappas extitisse episcopales, canonicales, etc. De prioribus habetur mentio in Synodo Mediolanensi IV, sub S. Carolo Borromaeo peracta. De Episcopis cum loquitur, praecipit: « Cappam episcopalem cum in Ecclesia vel ad divina Officia, vel ad Conciones, vel ad sacras lectiones, vel ad alias eiusdem generis actiones accedunt, omnino induant ». Eiusmodi Cappa, ob magnam longitudinem et amplitudinem *Cappa Magna* vocatur et ex monachalis habitus forma desumpta est. Ex forma quam nunc Cappae

praeseferunt earum notabilior et exterior pars pellibus maxime constare videtur, secundarie vero panno. At contra, earum praecipua pars pannus habendus est,et pelles non sunt nisi earum subsutura, hyemali tempori congruentior, prout et hodie haud raro usitatum videmus in civili tam virorum quam foeminarum hyemali operimento. Exinde provenit, quod pelles aestivo tempore auferuntur, et alia subsutura patescit ex serico, quod nonnisi in subsutura aliarum episcopalium vestium, ex Caeremoniali, adhiberi potest. Unde est quod pannus Cappae episcopalis laneus, et violacei esse debet coloris, et locum pellium, aestivo tempore, sericum excipere, coloris rubini, quod est fimbriarum et suturae color. *Cappam magnam* deferunt et E.mi Patres Cardinales, sed sericam purpuream, vel cum tempus requirit, violaceam, et ondulatam. Praelati quoque Romanae Curiae, et plura Canonicorum et Beneficiariorum Collegia, *Cappas magnas* gestant. Earum color, vel ex vestium dignitatis seu respectivi status propriarum colore dependent, vel ex quodam Apostolicae sedis privilegio. Ex. gr. Praelati romani violaceum colorem habent. Ita et Canonici fere omnes. Notandum quod Cardinales vel Episcopi ex Ordinibus regularibus (non Congregationibus) assumpti, Cappam, uti et praelatitias vestes adhibent unius coloris, vel plurium, prout sunt vestes Ordinis cui pertinent. (Minores S. Francisci, non tamen Capuccini, vestes praelatitias et Cappam induunt cinerei coloris). Canonici plures rubrum obtinuerunt. Beneficiarii, ut distinguantur a Canonicis, qui pellibus albis Cappas ut plurimum ornatas deferunt, si Cappa decorantur, eam vel cineracea vel nigra pelle ornant, prout et aestate subsutura serica aut lanea. Antiquitus tamen, notat iam citatus Macrius (*l. c.*), Canonicorum Cappa erat nigri coloris ad instar Religiosorum, ex parte anteriori aperta, et unita tantum inferius, eo modo, quo a Nicolao III in aliquibus Constitutionibus M. S. Eccle-

siae Vaticanae his verbis refertur: « A Vigilia, scilicet, Omnium Sanctorum, usque ad Sabbatum Sanctum, superpelliceas lineas deferant, Cappas nigras de sagia simplices; vel, si voluerint, foderatas a cingulo, vel circa ex parte inferiori, fixas inferius et apertas. Cappam nigri coloris deferebant Vaticanae Ecclesiae Canonici, etiam tempore Innocentii III, ut apud Turrigium *(De Chryptis Vaticanis)* in Bulla pro eiusdem Basil. Canonicis habetur. Hic auctor addit, quod Cappa erat similis illi Canonicorum Regularium Lateranensium, quae in multis codicibus antiqui Vaticani Archivii depictae videntur. Ceterum Cappa violacea cum pelle a Nicolao V Canonicis Vaticanae Basilicae et Beneficiatis concessa fuerat; quod eruitur ex Bulla eiusdem Pontificis, data sub die 5 Novembris 1455, et in Archivio praefatae Basilicae existente.

Iuxta plures auctores, forte mysticos nimis, ut saepe in similibus, Cappa eminentiam exprimit dignitatis ecclesiasticae. Caudae longitudo talem dignitatem usque ad diem Iudicii universalis duraturam esse denotat; dum, quando involuta sub brachio gestatur, indicat, sacerdotalem dignitatem non debere manifestari, nisi Dei honor et animarum salus id exposcere videatur. Pelles tandem perenniter memorant Domini Ministros esse peccatores, sicut etiam eosdem esse mortales. Ex eo quod Cappa alii vestimento superimponitur, ait Rupertus *(De divin. off., lib. 3, cap. 24)*, futuram indicare resurrectionem, « quando omnes electi, quibus nunc post depositionem carnis in anima tantum remuneratis singulae stolae albae datae sunt, binas accipient stolas, scilicet, requiem animarum, et resuscitatorum gloriosam immortalitatem corporum.

II. Quid de usu Cappae canonicalis, sicut aliorum insignium, quibus Capitula decorata quandoque fuerunt, dicendum veniat, loci, functionum, temporisque adiunctorum circumscriptione inspecta?

Canonicalis Cappa, aeque ac Rochettum, Mozetta aliaque canonicalia Insignia, quibus decorata plura Capitula fuerunt, in choro adhibenda est, in Processionibus aliisque propriae Ecclesiae, aut filialis (Constit. Leon. Pp. XIII, inter Decr. auth. S. R. C. *29 Ian. 1894*, **3817**) functionibus, quando, iuxta Rituale Romanum, Caeremoniale aliasque Rubricas, alia indumenta praescripta non sunt. « Dignitatibus vero et Canonicis, etiamsi gaudeant indulto deferendi cappam et rochettum, tam in propria quam in alienis Ecclesiis, huiusmodi tamen aliorumque Canonicalium insignium usum extra propriam Ecclesiam licitum esse dumtaxat quando capitulariter incedunt, vel assistunt et peragunt sacras functiones; non autem si intersint uti singuli, nisi speciale privilegium, nedum Collegium comprehendat, verum etiam singulariter, et distincte ad personas extendatur. Et ita declaravit, decrevit, et servari mandavit (Decr. Gen. 31 Maii 1817, **2579** — *4537*) ».

« Insignia cuiuscumque generis presbyteris concedere non solum collegialiter, sed etiam singulatim, sumptis, privativo iure servari Apostolicae Sedi ; et, si eadem insignia fuerint cuicumque a Reverendissimis Ordinariis collata, debent statim deponi (S. R. C. die *6 Maii 1872*, **3261** — *5499*) ». Ita pariter etiamsi a Rege collata fuerint, iuxta plura Decreta. Ex Constitutione Pii Pp. VII (*Id. Decem. 1818*), Protonotarii titulares, qui dignitate aut Canonicatu potiuntur, habitum gestent sui ordinis, non vero praelatitium in Choro, eoque consideant in loco, quem ex beneficio eos deceat, quod si habitu praelatitio uti velint , distributionibus quotidianis priventur ». Hoc valet etiam pro aliis Praelatis. Notatur tamen , sub nomine habitus praelatitii non venire solam talarem vestem cum zona, qua proinde uti poterunt, qui ius ad eam habent, sub propriis insignibus canonicalibus, seu aliis choralibus adhibendis. Canonicus in propria Ecclesia

officio fungens Presbyteri Assistentis, concionem habens, manus impositurus super ordinandos ad Presbyteratum, et similia peragens, Cappam deponere non tenetur, sed, etiam cum requiritur stola, hanc super illam induere potest, *iuxta praxim Archibasilicae Lateranensis*, in praedictis ordinationibus (Decr. in *Molinen.* 12 Septemb. 1857, n. **3059** — *5152* ad 23 — *27*). Item communicantes in *Coena Domini*, qui cum Cappa, Mozetta, etc. assistunt, stolam super eas imponere valent (V. Memor. Rit. Bened. XIII, *De Coena Dom. cap. 2, § VI, num. 9, ad 7*). Cappa, aut saltem illius pellis, aestivo tempore deponenda est. Qui Cappam deponunt, si usum Rochetti (proprie dicti, non vero alterius formae; uti gestant Beneficiarii Basilicarum Urbis) habeant, superpelliceum super illud imponunt, uti a Caeremoniali praescribitur *(lib. I, cap. 3, n. 3)*; nisi aliud privilegium concedat Mozettam, vel aliud simile insigne. Qui vero pellem tantum dimittunt, eius loco subsuturam convenientis coloris gerunt. Canonicalis Cappa explicari nequit, nisi unico excepto casu, nempe adorationis Crucis in Parasceve, ubi mos eiusmodi viget, sed usque ad talos tantum (*Sancti Severi, 4 Septemb. 1745*, num. **2389** — *4178*). Numquam autem permittendum est, et hoc in casu, habere clericum, aut alium, caudam seu extremam fimbriam elevantem (**2079** — *3597*, in *Cortonen.* 10 Septemb. 1701): numismata vel alia id genus insignia ab Apostolica Sede concessa, palam deferri nequeunt, nisi ex privilegio de tali usu constet; omnino autem prohibentur super sacra paramenta (S. R. C. in *Rupellen. 22 Martii 1862*, **3115** — *5323*). Annulum, si qui Canonici eo decorati sunt, non tenentur deponere, nisi in Missarum celebratione, et in ceteris functionibus sacris, quando in privilegio de his non fit mentio. Qui ex Canonicis Cathedralis Ecclesiae in Visitatione Dioecesis Episcopum comitantur, etiam extra propriam Ecclesiam insignibus uti queunt (S. R. C. in

Aliphana, 19 Ian. 1743, **2371** — *4138)*. Tot sunt S. Rituum Congregationis Decreta, prohibitionem Rochetti, Mozettae, Cappae aliorumve insignium in Sacramentorum administratione praedicantia, sive intra sive extra propriam Ecclesiam, et superpelliceum (super Rochettum ab usum habentibus) ac stolam absolute esse assumenda, ut ab iis citandis prorsus abstinendum esse censeamus, ne lectoribus fastidio simus. Sacramentum poenitentiae a regula generali non excipitur; sed Decreta de eodem sicut de aliis Sacramentis disponunt, cum tamen Confessarius, iuxta Rituale Romanum, superpelliceo et stola tantum uti debeat, *prout tempus et locorum fert consuetudo*, si ea exstat consuetudo, ut Canonici in habitu chorali confessiones excipiant, et stolam etiam superimponant, eadem retineri potest (Cfr. De Herdt, *Praxis Capitular. cap. VII, § 14*, ex Decr. S. Congr. Concil. in *Ripana, 2 Ian. 1860)*, et Gardellin., in Decr. S. Rit. Congr. *4 Iun. 1817*).

III. Quid de singulis iudicandum ut in casu?

R.mus Canonicus Candidus quaestiones spernens, quas ipsemet suscitat, privilegio abutens gestationis Cappae canonicalis, corripiendus profecto est, quia, ut ex casus expositione patescit, privilegium non est personale, sed datum *Ecclesiae* illi Cathedrali, locum proinde afficit, quamvis usus ad personas, Canonicos nempe, spectet. Hinc primo generaliter dicimus, quotiescumque Candidus, extra propriam Ecclesiam, aut eius dependentias, ac a fortiori extra suam Dioecesim. Cappam gerit, non capitulariter interveniens, ipse irrationabiliter privilegium invocat, eoque abutitur. Quod vero propriam attinet Ecclesiam, aut eius dependentias, haec sunt dicendae: 1.° Cum Cappa concionari utique valet, et quidem cum stola, si huius in praedicatione gerendae inibi mos viget, non enim agitur de functione, pro qua superpelliceum absolute requiratur cum stola, ut in Sacramentis etc.

2.° Invitatus ad processiones, intra praedicta loca, equidem cum Cappa incedere potest, nisi aliud obstet, v. gr. quod Celebrantem sequatur, more Episcoporum, etc. 3.° Quoad confessiones excipiendas, Cappa indutus, quatenus id moris extet in loco, non est inquietandus, dummodo id agat, uti perpendenti facile suadebitur, quando indumentum illud ob legitimum usum assumit, ex. gr. ad Chorum iturus aut ex eo rediens, ad Processionem, etc., non vero si ex proposito illud accipiat ad eiusmodi actum adimplendum, pro quo regulariter Cotta et Stola requiritur. 4.° Eucharistiae administratio, quamvis non sit Sacramenti confectio, est tamen illius distributio, quod maximam prae aliis Sacramentis venerationem requirit, qua permittendum nullimode est, ut, praeterquam lex Ritualis iubet, administretur. 5.° Contra morem et uniformitatem suae Ecclesiae pergens ad Crucis adorationem Feria VI in Parasceve, Cappae cauda explicata, agit Candidus contra ius aperte id prohibens, quod vidimus; eo vel magis, quod Clericum associantem praetenderit, ipsam sustentantem.

DISCEPTATIO LITURGICA

SUPER POSTREMO VALE DEFUNCTIS

post ultimam ex quinque Absolutionibus

Nimirum : an *Requiescat*, an *Requiescant* dicendum.

I. Supponimus uti certum in quavis absolutione dicendum esse semper *Requiescant in pace*, quando haec formula locum habeat in fine precis « Anima *eius* vel *eorum* etc. », et res patet. Quaestio, quam instituimus, respicit

Requiescat vel *Requiescant* dicendum a duobus cantoribus ante dictam precem *Anima eius* aut *eorum* etc. seu post ultimam Orationem, quae ab Absolvente dicitur. Item non agimus de *Requiescant in pace*, quando fit Absolutio pro pluribus defunctis; nemo enim non videt, formulam necessario pluralem numerum tunc exigere. Neque controversiam ponimus de *Requiescat in pace* quod Cantores dicunt in unica quae fit post Missam Absolutione, pro uno defuncto prout in Rituali; exploratum est enim, in casu, semper iuxta citatum codicem formulam praefatam in singulari numero dicendam esse. Nostra proinde disceptatio spectat, primo, ultimam ex quinque Absolutionibus, quae fieri permittuntur, prima solum vice post obitum Summi Pontificis, Cardinalium, Metropolitani aut Episcopi proprii, seu Imperatoris, Regis, vel Ducis Magni aut Domini loci, finita Missa *(V. Pontific. Rom. De off. fac. pro Def., et Caerem. Episc. Lib. II, Cap. 11, n. 13)*. Spectat secundo unicam Absolutionem, de qua idem Caerem. Episc. loco citato n. 12, quae fit ab Episcopo post solemnem suam Missam defunctorum.

Ratio disceptationis est, quia Caeremoniale Episcoporum in duplici, quem innuimus locum, habet expresse: « Cantores dicent: *Requiescant in pace* »: dum in Pontificali Romano legitur: « Duo ex cantoribus dicunt alta voce: *Requiescat in pace* ». Quaerimus ergo: 1. In quinta ex Absolutionibus dicendum ne *Requiescant*, ut in Caeremoniali, an *Requiescat* ut in Pontificali? Quaerimus: 2. In Absolutione, quam post Missam agit Episcopus, dicendum ne *Requiescant*, ut in Caeremoniali, an *Requiescat* ut in Rituali?

II. Ab hac secunda quaestione initium facimus, quod, ni fallimur, facilioris est solutionis. Et primo notamus, Rituale Romanum relative recens aliquam ab antiquis passum fuisse mutationem. Antiqua enim Ritualia post

ultimam Officium facientis Orationem, dicta per chorum responsione *Amen*, habent tantum *Dominus vobiscum: Et cum spiritu tuo;* et statim Officium faciens concludebat functionem per *Anima eius etc.* Ita legimus in Rituali Romano Cardinalis S. Severinae *(pag. 440)*, et ad illius normam, mutatis mutandis, nostrum Rituale Romanum compositum fuit. Ita quoque legitur in *Sacerdotale Romanum* anni 1597, in quo videlicet post praefatam salutationem ac relativum responsum non habebatur *Requiem aeternam etc.*, sed statim Officium agens concludebat per *Anima eius etc.* ut supra. Missale vero S. Pii V, anno 1584 exaratum, de absolutione agens, ponit Orationem *Absolve*, et postea dicit: « Post eam dicens *Requiem aeternam etc.* facit crucem manu dextra super locum paratum: et dicto per Cantores *Requiescant in pace*, praecedente Cruce redit cum aliis ad sacristiam *(Rit. cel. Missam, Tit. de his quae omittuntur in Miss. pro defunct.)* ». Ubi vides *a*) addi quidem *Requiem aeternam* a Sacerdote, sed non *Requiescat*, quam formulam in plurali numero soli Cantores concinebant: *b*) versum ultimum insuper, hoc est *Anima eius etc.*, non fuisse adhuc in generali usu ab initio, qui postea inolevit. Brevi, hoc volumus concludere, *Requiescat in pace* primitus post Orationem ultimam non fuisse semper dictum a Celebrante, sed successu temporis fuisse ex lege adiunctum; atque insuper formulam ultimam ab initio non extitisse, et fortasse cum *Requiescat* a Celebrante dicto ortum quoque eam formulam habuisse, quod denique lege statutum est.

Iam nunc additiones huiusmodi insertas fuisse in Rituali Romano, quo impraesenti utimur, certum est; sed eas quoque compertum est non fuisse insertas in Caeremoniali, imo, uti videbimus, neque in Pontificali.

Et sane audias Caeremoniale praedicans: « Episcopus .. aspergit... thurificabit... et duo acolythi... sistent ante

pedes Episcopi, qui... leget versiculum *Et ne nos* et alios versiculos et Orationem Missae... et in fine repetet versiculum *Requiem aeternam etc., et cantores dicent: Requiescant in pace*, et Episcopus tunc producet signum crucis versus pannum: inde, depositis paramentis, ubi fuerunt accepta, factaque oratione, *discedet (Lib. II, Cap. II, n. 12)*. » Certa ergo conclusio est, postremum vale, per *Requiescant in pace*, uti in antiquitate, ita impraesenti, semel esse dicendum, non bis, iuxta Caeremoniale Episcoporum, quidquid Rituale Romanum praesens, ob mutatam disciplinam, habeat.

His positis, inquirimus: Quare antiqui codices *Requiescant in pace* ultimum nunquam in singulari numero ponunt, sed semper in plurali? Haec non dubitanda ratio, quia loco ultimo semper consuevit Ecclesia, postquam unum vel plures orationibus suis Deo commendavit, omnes defunctos etiam in genere eidem Deo commendare. Videas in Missa, etsi pro uno defuncto, primam Orationem, secretam et Postcommunionem particularia esse; at ultimum vale per Requiem, quam adprecatur, semper esse debere omnibus Defunctis commune, nempe *Requiescant in pace*, quod et Decretis confirmatur, praeter Missalis Rubricam. Videas et Absolutionem, quae in suo decursu, si pro uno fiat defuncto, particulares semper Orationes habet, sed ultimo loco pro omnibus defunctis Ecclesia adprecatur.

Haec ergo ratio est, ob quam Rituale Romanum praesens habet *Requiescat in pace* a cantoribus in singulari numero dicendum, Caeremoniale vero praesens haud mutatum, *Requiescant in pace* habet dicendum in plurali: nempe quia pro Rituali ultimum *vale* non est, dum ultimum vere est pro Caeremoniali. Namque Rituale habet aliam formulam, ultimo loco praescriptam, hoc est: *Anima eius*, vel *eorum et animae omnium fidelium defunctorum*

requiescant in pace: Caeremoniale hoc ultimum *vale* non habet omnibus defunctis commune, sed tantum *Requiescant in pace*, quod a Cantoribus dicendum praescribitur immediate post Orationem: « Cantores dicent *Requiescant in pace*, et Episcopus... depositis paramentis, ubi fuerunt accepta, factaque oratione, discedet (*Loc. sup. cit.*) » Hinc Martinuccius notat post Orationem ab Officium faciente et *Requiescant in pace* dictum a Cantoribus: « Episcopus nullam adiungens aliam precem aut versiculum, sedebit etc. et revertetur in sacrarium (*Lib. V, Cap. 23, § 1, n. 126).* » Ultimum ergo *vale*, iuxta Caeremoniale, est *Requiescant in pace* a Cantoribus exequendum, dum ultimum non est idem pro Rituale, quod habet *Anima eius et animae etc. requiescant in pace.*

Iure proinde meritoque in Absolutione, quae fit iuxta Rituale, dicitur et dicendum est in singulari numero: **Requiescat** *in pace*: iure meritoque pariter dicendum in Absolutione, quae fit iuxta Caeremoniale Episcoporum; in plurium numero: **Requiescant** *in pace.*

II. Nunc ad alteram quaestionem, quae minus facilis solutionis apparet; eo quod si Rituale et Caeremoniale inter se non pugnant, Caeremoniale nihilominus et Pontificale pugnare videntur. Sane primum habet, dicendum esse a Cantoribus post Orationem facientis Officium: **Requiescant** *in pace*: alterum vero iisdem in rerum adiunctis dicendum perspicue sine ulla incertitudine docet **Requiescat** *in pace* singulari numero. En reapse verba Caeremonialis de ultima e quinque Absolutionibus loquentis: « Episcopus dicet *Requiem aeternam* etc.; demum duo Cantores dicent **Requiescant** *in pace (Lib. II, Cap. 11, n. 22):* » hocce modo Absolutio ultima expletur, nec plus nec minus, quam alia, de qua superius, si pro uno unica fiat. En autem verba Pontificalis super eadem ultima Absolutione: « Deinde dicit idem Pontifex benedicens lectum

(*seu castrum doloris*): ℣. Requiem aeternam dona ei Domine. ℟. Et lux perpetua luceat ei. Tum duo ex Cantoribus dicunt alta voce: ℣. **Requiescat** *in pace*. ℟. Amen (*De off. solemn. pro Defunctis* ». Post praefata autem verba unus et alter codex nihil aliud ponunt, nisi discedendum esse, atque in sacrarium redeundum. Quid ergo? Eadem est functio, persona pro qua fit nonnisi ad eas pertinere debet, quas utrumque codex recenset, et ab initio vidimus, Absolutio est in utroque codice ultima, persona quae illam peragit est Episcopus Dioecesanus, licet esse quoque possit Cardinalis, Papa, et aliquando etiam simplex Sacerdos, sed per accidens, codex in casu adhibendus alteruter esse potest, cum de cetero uterque concordet in omnibus aliis, uno excepto verbo, nempe *Requiescant*, vel *Requiescat*. Quid iudicandum? Utri ex duobus codicibus adhaerendum? Errat ne unus? Si mendosus sit unus, uti certo credimus, uter erit? Rem perpendamus.

Si rationem consulamus rectumque sensum, primo intuitu dicendum videtur potius *Requiescat* in singulari, quam *Requiescant* in numero plurium. Pro uno enim fieri Absolutionem ponere necesse est, Orationes quae in ea dicuntur, particulares quoque sunt, et aliae preces ultimum vale praecedentes sunt etiam in singulari numero, uti *A porta inferi — Erue, Domine, animam eius — Requiescat in pace — Amen*. Convenit ergo ut etiam ultimo dicatur *Requiescat* in singulari non autem *Requiescant* in plurali. Referri ad rem posset etiam Decretum in *Urbis;* supplicantibus enim choralibus Basilicae Liberianae, an dicendum sit in fine Absolutionis mortuorum *Requiescat* vel *Requiescant*, responsum sequens acceperunt: « Quando Absolutio est pro uno defuncto, in singulari; pro pluribus, in plurali (*num.* **1611** — 2858, *22 Ian. 1678*) ».

Re vero penitius considerata, contrarium esse verum facile sibi lectores persuadebunt. Nam ratio superius allata

graviter obstat praefatae sententiae. Vidimus iam, nunquam Ecclesiam pro uno defuncto orare, quin ad ultimum saltem de omnibus recordetur. Allatis exemplis addi potest etiam defunctorum Officium, quod etsi pro uno fiat, non deest in fine pro omnibus defunctis memoria, quod etiam in Vesperis comprobatur. Similiter plura in particularibus suffragiis sunt omnibus communia, et Horam nullam canonicam absolvit pia mater Ecclesia, *quin* de omnibus defunctis reminiscatur.

Adiungi possunt etiam alia antiquitatis exempla, uti ex. gr. funerea functio, de qua manu exaratum Pontificale Salisburgensis Ecclesiae, quae post Orationem ultimam habet: « Ac deinde, *Anima eius et omnium fidelium Defunct. etc.* »; ritus sepeliendi clericos Romanae fraternitatis, prouti leguntur in Museo Italico Mabillonii, habent enim in fine Absolutionis: « Postremo dicatur Oratio *Absolve, Domine*, et subiungatur: *Anima eius et omnium fidelium defunct. etc.* Similia exempla refert Martène, agens de antiquis Monachorum ritibus.

Inde consequitur, maxime congruum esse semper, ut in suffragiis singularibus, locum, saltem in fine, generale aliquod suffragium inveniat, ut Ecclesia amorem suum erga omnes indiscriminatim, cum de aliquo in particulari defuncto agitur, testetur: per quae et rectus sensus ostenditur.

Quod vero Decreti pertinet auctoritatem reponendum est, ibi non agi de Absolutione, quae habetur in Caeremoniali vel Pontificali, ab Episcopo persolvenda, sed de ea quae habetur in Rituali. Secus dicendum foret, S. R. Tribunal respondisse contra Caeremoniale Episcoporum: quod citra controversiam semper ponit **Requiescant** *in pace*, uti ostensum est superius. Decretum ergo in una Urbis ad rem non facit.

Sed ab his abstrahamus, quae probant quantum pos-

sunt. Consulamus potius codices, quidque hi habeant accuratius videamus. Nonnullae in Caeremoniali Episcoporum mutationes quandoque a competenti auctoritate factae fuerunt ; sed, quod nostrum attinet obiectum, contrarium constat. Plures perspeximus, quas in promptu habere nobis datum est, Caeremonialis editiones, et omnes reperivimus hac in re cum typica, quam possidemus, plane concordes. Ex. gr. Editio Caeremonialis Episcoporum anni 1633 (1), seu triginta tres post annos, ex quo Constitutio Clementis VIII novum approbavit vulgavitque Caeremoniale Episcoporum, cum praesenti typica perfecte hac in re concordat. Item Editio (2) eiusdem Codicis an. 1670, concordat et ipsa. Nec alia differt anno 1744 (3) vulgata, quam Catalanus Commentariis suis illustravit. Alias omittimus, ne tempus frustra teramus, quippe quae nihil ab aliis discrepant, et recentiorem referemus editionem, pariter aliis consonantem, quae vulgata fuit anno 1860 (4) cum aliisque recensitis plane conformem. Adeo ut nullo concludi labore possit, eam semper constanterque in Ecclesia, ex quo Caeremoniale prodiit, imo fortasse et antea, disciplinam fuisse servatam, hoc est : ultimum vale in casu, universis defunctis dictum fuisse per generalia verba **Requiescant** *in pace*.

Caeremoniali conforme ne fuit et Pontificale ? Nec dubitandum, si antiqui consulantur codices ; in iis enim plena, quod attinet casum peculiarem, de quo agimus, conformitas reperitur. Citabimus ante omnia Pontificale

(1) Parisiis, impensis Societatis typographicae Librorum Officii ecclesiastici, iussu Regis constitutae.

(2) Romae, typis et sumptibus Philippi de Rubeis.

(3) Romae, typis Antonii de Rubeis apud Pantheon.

(4) Parisiis, sumptibus etc. Jouby Editoris facultatis theolog. Bibliop.

Romanum Gothicum S. Pii V Pontificis Maximi an. 1561 (2); alteram Pontificalis eiusdem editionem, Clementis VIII iussu restitutam an. 1627 (3), tertiam Clementis VIII et Urbani VIII auctoritate recognitam an. 1647, quartam Clementis VIII, Urbani VIII ac Benedicti XIV auctoritate recognitam et castigatam an. 1775 (4), quintam, quam Catalanus suis Commentariis auxit, an. 1740 (5). Quae omnes et singulae in eo conveniunt cum Caeremoniali Episcoporum, ponentem ultimum vale in Absolutione, pro uno licet defuncto, non *Requiescat*, sed **Requiescant** *in pace*. Inde conclusio certa, Editionem typicam solam ab aliis omnibus in hoc differre cum ponat **Requiescat** *in pace* in singulari numero, dum aliae scribunt in plurali **Requiescant**.

Quid igitur? Dolentes sumus, quod ex auctorum probatorum operibus, quae prae manibus habemus, uti *Praxis Pontificalis* De Herdt, *Commentaria* Catalani in Caeremoniale et Pontificale, *Manuale Caeremoniarum* Martinucci, qui pluries adnotationibus res aliquas controversas ditat, *Praxis Caeremoniarum* Castaldi, *Manuale* Bauldry etc. eruere nil possumus. Licet enim communiter, seu de quinque Absolutionibus, seu de unica Absolutione, quae in Caeremoniali describitur, loquentes, ponant iuxta Rubricas dicendum esse a Cantoribus **Requiescant**, nihilominus nullam super singulari vel plurali numero animadversionem agunt. At ex hoc silentio nobis inferre licet, super certam legem nihil esse observandum. Verumtamen Pontificale typicum, hoc quoque animadvertendum, praefatis auctoribus, quos

(2) Venetiis, apud Iuntas.

(3) Antuerpiae, ex officina Plantiniana apud Balthasarem Moretum.

(4) Venetiis, ex typis Balleonianorum.

(5) Romae, typis Antonii de Rubeis apud Pantheon.

citavimus, recentior est, pertinet namque ad annum salutis 1888. Num ergo mutata lex dicenda est? Id credere nullo pacto possumus, quia supponere nequimus, S. R. Tribunal Pontificalis mutasse Rubricam, et intactam reliquisse antiquam Rubricam Caeremonialis, cum utraque actum eumdem spectet. Error ne typographicus censendus? Neque id supponere fas est; quia ter idem error irrepsisset. Etenim post Orationem habetur *Requiem aeternam dona* **ei** (pro **eis**), Domine — *Et lux perpetua luceat* **ei** (item pro **eis**) — ac denique **Requiescat** pro **Requiescant**, etc. Aliunde solertia, attentio, vigilantia et cura, quae adhibitae in praefata Editione fuerunt, uti ex totius codicis decursu satis superque constat, errorem potuisse irrepere non permittunt credere. Quid ergo concludendum? Hoc, quantum quidem videmus, opinandi modum, si competenti auctoritati id placuerit, mutare parati:

1. **Requiescant** *in pace* dicendum esse, non vero **Requiescat** *in pace*; hoc enim unus tantum, recens licet, codex habet, ignoraturque ratio: illud autem habent omnes antiquiores codices, et iure merito.

2. Supponi nec potest nec debet incohaerentia inter Caeremoniale et Pontificale, quae idem respiciunt, et ab Episcopo iisdem in rerum adiunctis agendum: ut Pontificale Caeremoniali, non Caeremoniale Pontificali, in casu debeat esse conforme.

3. Fortasse qui Editioni recentiori invigilarunt, rei specie decepti, cum omnia ac singula responsoria vidissent atque Orationes in singulari, numerum pluralem in postremo **Requiescant** errorem iudicarunt, mutaruntque securi in eumdem singularem numerum; quod postea ex inadvertentia remansit.

NOVA RATIO

PASCHA FACILLIME INVENIENDI

EIUSQUE PER ANNUM DEPENDENTIAS

NEC NON DIEM CUIUSVIS HEBDOMADAE MENSIS

Emendatione Gregoriana posterior (1582).

Lectori benevolenti.

Caelum ne suspexisti, amice lector, dum nocturnis horis fulgidioribus stellis distinguitur? Mirum profecto se spectaculum respicientibus exhibet. Enumera stellas, si potes, quae tuis subiiciuntur oculis, fulgidas quidem, sed carentes motu, eodemque loco inerrantes. Dum interim indefinitum cernis planetarum ordinem, quos inter luna emicat argentea, immensum firmamenti Oceanum propemodum navigantium, nostrumque placide circumeuntium terrestrem globum. Sed vero putasne fortuito illas circumire? Minime profecto; cum a longe quidem, sed intra abyssi spatia, quae mensurari nequeunt, splendidius emicet astrum, quod sequuntur, illas tenens in suisque circumactionibus dirigens: quippe quod induit circumdatque illas luce ac splendoribus suis.

Stella ista, quae luminare maius dicitur, est sol.

Quid ergo? En mea, quam tibi aperio mentem. Idem tibi se spectaculum offert cum in Ecclesia Catholica festivorum dierum contemplaris ordinem. Quid festa fixa nisi absque motu et inerrantes stellae, quae determinatis diebus anni immobiles permanent? Alia tamen astra non desunt, quae planetarum nomine veniunt, errantia motuque praedita, quibus assimilantur festa reliqua, quae

diem determinatum fixumque non possident. Hunc autem gyrum, uti planetarum, harmoniae plena lex sapienter gubernat; centrum et ipse habet, veluti solem, quem circum agitur, a quo dependet, splendorem mutuat, estque ea quae appellatur *Solemnitas Solemnitatum*, Pascha. Hac se movente, et illa pari gradu moventur, et quo haec plus-minusve unoquoque in anno ascendit vel descendit, eo et illa singula pariter ascendunt vel descendunt. Pascha proinde cognita, mobilia quoque festa cognosci veluti oculi ictu necesse est, quod per appositam tabulam praestabimus. Pascha, nodus est expediendus; sed quo modo? Plures hi sunt, quos tradunt periti, plus minusve nihilominus nec faciles nec perspicui: novum suppeditamus facillimum ad omniumque captum accommodatum. Perpendas, amice lector, veritatemque fateberis.

Ne praesentem spernere vel negligere laborem velis; Ecclesiae namque viros apprime spectat, duce sacro illo codice, quo pro Horis Canonicis persolvendis quotidie uteris. Valeas. Auctor.

I.

PRAELIMINARIA.

Christianorum Pascha, prouti Apostolica fert traditio, quam Nicaena Synodus sancivit, celebranda est ea in Dominica, quae sequitur quartumdecimum diem primae lunationis Nisan, seu mensis Martii, post aequinoctium vernum. Unde oritur, ad Pascha dignoscendum, et Epactae et Litterae dominicalis necessariam esse cognitionem; illa enim tibi quartamdecimam lunam, haec vero Dominicam quae sequitur patefaciet. Ut autem huiusce duplicis elementi inquisitio facilior gratiorque evadat, opportunum iudico, amice lector, aliquid de utroque innuere tibi. Immo non possum quin notitiam et de aureo numero praemittam,

utpote cui Epacta suffecta fuit; namque tritum adagium latet neminem: Ignoti nulla cupido.

NUMERUS AUREUS.

Ut probe intelligerent quos in dies inciderent cuiusvis anni novilunia, consueverunt veteres cyclo uti, quem ab aureo numero nuncupant. Hic autem nil est aliud, quam novemdecim annorum series, quorum spatio, iuxta eos, multiplices omnes variationes suas luna absolvebat, ad eumdemque situm pristinum, quod solis relationem attinet, redibat: eadem novilunia inde iteratura iisdem diebus, horis momentisque quibus antea, absque ulla variatione ac mutatione.

Huiusmodi autem decemnovenalis series sequenti ratione determinata est: *a*) Cyclus incipit in synodali lunae anno: hoc est, tunc luna initium habet quando ipsa nascitur simul cum anno solari. Id autem notatum fuit in Calendario sequenti modo: ad latus dierum omnium, in quos dicto anno incidunt novilunia, positus est numerus 1, ut primus annus cycli indicetur. *b*) Insequenti anno, cum novilunia in dies inciderent diversos ab illis, in quos inciderant praecedenti anno, ad latus eorumdem dierum numerus 2 positus fuit, ut indicaretur secundus cycli annus. *c*) Tertio quoque anno novilunia in dies incidebant pariter diversos ab aliis, in quos duobus praecedentibus annis inciderant, et proinde ad latus eorundem dierum positus fuit numerus 3, qui tertium cycli annum indicabat: ita deinceps ad decimum nonum usque annum inclusive. Post hoc iterum luna novo suo anno synodali initium dabat una cum sole, eodemque modo, uti antea, novilunia iterabat, iisdemque relativi anni diebus, quos singuli, uti diximus, numeri distinguebant.

Hac ratione lunaris novemdecim annorum efformatus est cyclus, qui nihilominus variis denominationibus obnoxius fuit. Cyclus *metonicus* nuncupatus est a Metone, qui

insignis astronomi atheniensis fama gavisus est, illiusque dicitur inventor. Cyclus *numeri aurei* dictus etiam fuit seu quod aureis quondam litteris fuerit inscriptus, seu quod magni habitus fuerit. Item et *callippicus* nuncupatus fuit, quod Callippus eiusdem cycli reformator fuerit.

Ut numerus aureus cuiusvis anni dignoscatur aerae vulgaris, addas unitatem numero anni tibi propositi, summamque per numerum 19 dividas; residuum, quod superest, numerus aureus esto. Quod si residuum sit nihil, numerus aureus erit 19.

EPACTA.

Quid Epacta, et quaenam illius usus? Compertum est satis, annum solarem ter centum et sexaginta quinque constare diebus, annum vero lunarem diebus ter centum quinquaginta quatuor: differentia inter utrumque praefatum annum, quae numero 11 constat, Epacta nuncupatur. Eius munus est idem ac numeri aurei, indicandi nimirum tempus, in quo novilunia cuiusvis anni incidunt. Dum enim differentiam indicat, quotannis occurrentem, lunam inter et solem, indicat simul spatium temporis in quo novilunia et inclinantur et extolluntur, ratione habita ad annum solarem lunaremve praecedentem.

Exemplum esto. Pone, solem lunamque eadem die incipere longam annorum seriem, primumque novilunium adamussim incidere in primam Ianuarii mensis diem; sequentia habebuntur consectaria: *a*) Cum uterque annus eadem incipiat die, iam patet nullum in primo anno esse inter solarem lunaremque discrimen: ut proinde nulla sit Epacta, seu 0, quae ex conventione per signum * exprimitur. *b*) In secundo autem anno luna undecim diebus praecedit solarem annum; hinc inter solarem annum et lunarem differentia undecim dierum est. Hoc autem idem est ac dicere Epactam esse dierum undecim, et novilunium secundi anni accidere undecim diebus ante diem pri-

mum Ianuarii, in quo annus solaris incipit. *c)* In tertio anno differentia aliorum undecim dierum augetur; erit ergo Epacta dierum viginti duorum, seu, quod idem est, novilunium in hoc tertio anno incidet viginti duobus diebus ante quam initium habeat annus solaris. *d)* Anno autem quarto differentia erit triginta trium dierum, qui dierum numerus eiusdem anni Epactam constitueret: quod indicaret, novilunium mensis Ianuarii huius anni triginta tres dies ante annum solarem incipere. Hoc autem a vero alienum est: quia dies triginta lunarem mensem faciunt, iique proinde amplius non sunt computandi, indicant enim lunam et solem in relativo cursu sibi aequiparatos se fuisse. Consequenter tres tantum remanent dies differentiae inter lunarem annum et solarem, qui ideo Epactam efformare tantum possunt. Superest ergo ut Epacta quarti anni sit numerus 3: quod ostendit, primum novilunium tribus tantum diebus annum solarem praecedere. Si hac ratione procedes ad annum usque decimum nonum, in quo Epacta erit 19, series clauditur; etenim undecim aliis diebus eidem numero additis habebis 30, hoc est Epactam nullam, seu *, ut supra diximus. Hanc autem seriem novemdecim annis constare perspicis nec plus nec minus sicuti numerum aureum, et Cyclus Epactae nuncupatur.

LITTERAE DOMINICALES.

Noster solaris annus quinquaginta duabus constat hebdomadis, uti notum est, quibus tamen dies unus superest pro annis communibus, duo vero dies pro bissextilibus. Hinc ratio variationis Dominicarum, ut quemadmodum non iidem sunt anni, ita nec Dominicae in eosdem incidant dies. Si enim quinquagintaduas tantum hebdomadas annus haberet, nempe dies tercentum sexaginta quatuor, semper Dominicae inciderent in eamdem diem mensis et anni; a Dominica inciperet annus, terminaret-

que cum Sabbato, ut iterum a Dominica initium sumeret, et sic deinceps. Sed vero, cum vel unus vel duo dies supersint, hinc si Dominica dat anno initium, nonnisi Dominica, vel feria II. dare potest finem: si feria II. incipit annus, nonnisi feria II. aut III. finem habere poterit. Inde orta est necessitas quaedam adhibendi signa, ex conventione statuta, quae in singulis annis variationem Dominicarum indicarent. Pro his signis septem litterae alphabeti selectae fuerunt; videlicet: *a*, *b*, *c*, *d*, *e*, *f*, *g*: quae successive, una nimirum post aliam, cuiusvis anni Dominicas indicant.

Hae litterae septem, diebus septem pariter hebdomadae respondent, iisque ab initio anni affiguntur sequenti ordine: *a*, primo diei mensis Ianuarii: *b*, secundo diei eiusdem mensis: *c*, diei tertio: *d*, quarto: *e*, quinto: *f*, sexto: *g*, septimo Ianuarii diei: idem autem ordo, expletis septem litteris, resumitur pro ceteris omnibus diebus anni, usque ad ultimum mensis Decembris, cui iuxta superius dicta, littera *a* manet affixa. Cum autem in bissextilibus annis pro die qui superfluit, alia occurreret littera, illa quae diei affixa est 24 mensis Februarii, nempe *f*, eadem et affigitur dicto diei supereffluenti, idest 25 Februarii, qui intercalaris nuncupari solet. Satis inde patet, per eam litteram, cum eadem sit, nullam fieri mutationem iam dicti ordinis, sed unaquaeque suo relativo diei manet affixa.

Dominicales dicuntur hae litterae, quod unaquaeque earum ab initio ad finem anni, diem Dominicae indicat. Adeo ut, si ex. gr. littera *a* Dominicalis sit, seu Dominicae sit ab initio anni affixa, eadem *a* per integrum anni cursum semper aliquam Dominicam indicabit; et ubicumque in calendario eam litteram invenies, ibi erit et Dominica, haec enim ab alia Dominica septem dierum intervallo distat, sicuti eodem intervallo distat littera *a* ab alia littera eiusdem nominis.

His litteris constat et Cyclus solaris, qui tamen cum anno solari, uti mox dicemus, nil communis habet. Aliud enim dictus Cyclus non est, quam series viginti et octo litterarum Dominicalium, viginti et octo annis successive respondentium: quibus expletis annis, earumdem litterarum ordo iterum, eodemque modo resumitur. Solaris tantum nuncupatur Cyclus, quia Dominicas indicare natus est, Dominicam autem, uti notum est, veteres dicebant **diem solis**.

Notandum, annos bissextos duabus gaudere litteris, ex quibus altera indicat Dominicas ab initio anni ad festum S. Mathiae Apost. occurrentes, hoc est ad diem usque vicesimum quartum mensis Februarii inclusive: altera vero, praecedens scilicet, Dominicas indicat, quae in reliquo anno occurrunt; quia si v. g. *f*, denotat feriam sextam, eadem *f*, die 25 Sabbatum denotat: hinc, cum prius *a* indicaret Dominicam, postea indicabit feriam secundam, *g* autem Dominicam ostendet.

Sequentem heic subiiciemus tabulam, saecula, annos, litteras Dominicales, Epactasque continentem: quae ad diem Paschae nullo labore inveniendum mirum in modum inservit.

TABULA

pro Epacta, Litera Dominicali

et Pascha inveniendis



Tribus haec tabula constat partibus, quae potiores sunt: prima spatio constituitur inter primum intimum crassiorem circulum et secundum: altera inter secundum et tertium: ultima inter tertium et quartum. Pars prima pro Epacta invenienda inservit: altera, pro invenienda littera Dominicali: tertia tibi Pascham exhibet. Singulas ordinatim explicabimus.

II.

EXPLICATIO TABULAE.

Prima pars, de qua supra mox diximus, ex tribus circulis constituitur, quorum minor et intimior saecula continet: alter grandiusculus qui primum sequitur, numerosque arabicos habet, indicat quantitates, ab Epacta, cum fuerit inventa, subtrahendas: ultimus, qui romanos numeros continet, exhibet Epactas saeculorum relativo ordine distributas. Praenotemus oportet, inter Epactas, non quidem hic, sed in altera parte, quae explicanda veniet, quandoque reperiri signum *, de quo superius dictum est. Hoc significat, iterare iuvat, Epactam esse nullam; id autem hoc loco praenotavimus, quia utile immo necessarium ad rem nostram erit.

APPLICATIO.

Epactam, quam scire desideras, aut ad ultimum annum alicuius saeculi pertinet, aut ad alium annum quemcumque dicti saeculi. *a)* Si primum, quaere saeculum ex iis quae inscripta sunt in primo intimiori circulo: ad eiusdem saeculi latus laevum, consequenter et tuum legentis dexterum, invenies numerum arabicum subtrahendum, de quo mox dicemus: ad latus huius numeri laevum tuumque dexterum habebis Epactam saeculi: ab hac subtrahe numerum, de quo supra, et quaesitam habebis Epactam ultimi anni saeculi.

b) Si secundum, relinque Epactam, quam invenisti, sume

aliam sequentem iuxta ordinem inscriptum, ab eaque percurre singulas, quae sequuntur, cellulas, tot numerando unitates, quot cellulae fuerint, donec perveneris ad annum, cuius quaeris Epactam. Ibi consiste, quia numerus iste romanus Epactam constituit anni, quam quaerebas: e qua tamen subtrahas primum necesse est numerum, arabico charactere inscriptum, positum infra ipsam Epactam ultimi anni saeculi praecedentis.

Animadvertendum autem, cellulas intra quas inscriptae sunt Epactae, esse novemdecim (19); hinc, si annus, cuius quaeris Epactam, praefatum numerum excedat, relinquere eum potes, et breviori via incipere a 20 computationem: si fuerit duplo superior, potes computationem a 39 incipere: si triplo, incipe a 58: si quadruplo, a 77: si etiam quintuplo, a 96 potes computationi initium dare.

Praeterea fieri potest, ut Epacta inventa sit minor numero subtrahendo: ea in hypothesi numerum eumdem triginta unitatibus augebis, et subtractione ut supra peracta, residuum erit Epacta.

EXEMPLA.

1. Sit invenienda Epacta anni 1900. Quaeras hoc saeculum, statimque ad laevum latus illius videre tibi erit numerum arabicum 2 (num. subtrahendus): item ad latus laevum pariter huiusce numeri alium perspicies numerum romanum, nempe I, qui Epacta saeculi est: a qua cum duas unitates subtrahere nequeas, triginta alias superaddas, et a triginta et una unitatibus duabus demptis, habebis vigintinovem (29): residuum istud erit Epacta anni, quam quaerebas.

2. Altera Epacta sit invenienda anni 1960. Quaeras Epactam eamdem, ut supra in primo exemplo; eáque omissa, ab altera sequenti incipe, percurrendo cellulas, toti-

demque, quot cellulae per gyrum sunt, computans unitates, donec ad sexaginta perveneris, ibique constiteris. Cum autem scias, Epactarum cellulas esse tantum novemdecim (19), ne in computatione inutili tempus teras sequenti modo te gerere poteris, computando nimirum: 19+19=38 : 38+19=57 : hinc computationem si a 58 incipias, statim post tres cellulas in quarum ultima, ubi consistes, invenies romanum numerum IV, qui erit Epacta: a qua dempto numero arabico inferius inscripto nempe 2, habebis pro anno 1960 Epactam II.

(*Continuabitur*) P. Petrone P. C. M.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Nola*. a) **De sepulcris in parietibus Ecclesiae vel subtus terram, et Missa.** Altare quoddam muro posteriori cuiusdam Cappellae coemeterii innititur: in dicti autem muri crassitudine efformati sunt loculi, tam scilicet in superiori altaris parte, quam in inferiori, hoc est sub hypogeo, seu subterraneo fornice: loculi autem metro circiter ab altari distant. Quaeritur: An in dicto altari Missa celebrari licite possit, an potius altare a loculorum muro distare uno circiter metro debeat.

b) Si inter solum Cappellae superioris et solum hypogei plura extent metra profunditatis, et in solo hypogei ac praecise in situ, qui superiori altari respondet, aliquod reconditum sit cadaver, potestne celebrari in superiori Cappella? Profecto cum verba **quorum reliquiae hic sunt** referantur ad alia verba **per merita Sanctorum tuorum**, intelligi nusquam possunt de cadaveribus, quae tam

profunde iacent recondita, sanctaque non sunt. Quid autem, quando hypogeum propria gaudet ianua pro ingressu ab extra, nullamque habet cum superiori Cappella communicationem internam? Hoc in casu potest in dicta superiori Cappella celebrari?

c) Potest ne celebrari in satis ampla Cappella coemeterii, quae hypogeum non habet, sed vero ad quatuor angulos, cum distantia unius circiter metri ab altari, in ima parte sito, est humus ad sepelienda cadavera destinata?

Resp. a) Decretum, quod retulimus in Ephemeridibus an. 1898 ad pag. 699 declarat « tres cubitos esse fere unum metrum longitudinis, atque hanc distantiam sepulcrorum ab altari sufficere ». Id autem perfecte concordat cum responso ad Dubium II Decreti in *Romana* d. d. 12 Ian. 1897, prouti legitur in novissima Collectione sub num. 3944. Ratio vero huiusce dispositionis, semper plus minusve in Ecclesiae disciplina antiquiori servata, est quia indecens est omnino, ut sacrificium antonomastice sanctum super cadavera celebretur, quae sancta non sunt, imo reprobata esse possunt. Iure proinde merito S. R. C. iubet ut inter cadavera, quae sub humo sepeliuntur, et altare, unius circiter metri distantia nunquam desit.

At in casu nostro habentur cadavera, non subtus altare sepulta, sed in loculis parietis, cui altare innititur: qui paries tam in parte superiori quam in inferiori, apposite efformatis loculis, eadem cadavera continet, et quidem ita, ut ab altari distent uno metro circiter. Non ergo casus est applicandi Decreti suprarelati. Non profecto quod pertinet cadavera in loculis superioribus recondita; quia, uti exponitur et animadvertimus, super altari iacent, non subtus. Neque ea quod attinet, quae inferius reconduntur; quia etsi iaceant in inferiori parte, et quodammodo subtus altare; iacent nihilominus in parietis loculis, et

non praecise subtus altare, in quo fit Missa. Igitur non comprobatur et comprobari nequit, vi Decreti attenta, Sacrificium fieri super cadavera. Cum autem casus ferat, hoc haud obstante, inter dicta cadavera et altare reperiri etiam unius circiter metri distantia, manifestum fit, quodcumque inconveniens esse omnino sublatum, legisque propositum prorsus obtineri, ut Sacrificium super altare, subtus quod cadavera sunt sepulta, non fiat. Non igitur necesse est, ut altare amoveatur a muro, sicque inter murum et altare habeatur unius circiter metri distantia; sed plusquam sufficiens est, ut ipsa cadavera uno circiter metro ab altari distent: quod nihilominus neque Decreti lege requiritur. Ergo licite super dicto altari Missa celebrari potest, prouti extat.

b) Hic, ni fallimur, habetur verum sepulcrum subtus altare extructum: adeo ut qui in dicto altari Missam faceret, vere super aliquod cadaver celebraret. Equidem, additur, plura habentur metra profunditatis; at plura semper eiusdem profunditatis metra in sepulturis comprobantur, super quas nihilominus celebrare, vi decreti, non licet; comprobatur enim Sacrificium super defunctorum cadavera fieri. Videmus quidem, verba « quorum reliquiae hic sunt », non ad cadavera referri posse, sed ad alia verba « Sanctorum tuorum »; at nonne id quoque dici potest de quocumque altari rite consecrato, subtus quod plus minusve profunde cadavera sepulta iacent? Et nihilominus hoc proculdubio interdictum est, nisi saltem cadavera subtus terram iacentia, requisita lege spatio ab altari distent. Inter hunc casum et alium hic relatum haud sufficiens conspicimus discrimen, ut hoc interdictum dici certo debeat, illud autem permissum licitumque. Quod autem verba attinet, equidem Celebrans referet indubie reliquias, quas nominat, ad Sanctos, ad quos pertinent, non vero ad cadavera, quae subtus se-

pulta iacent. Verum accepta verba, uti sonant, et ad Sanctorum et ad mortuorum reliquias referri possunt. Ceterum, utcumque res se habeat, hoc negari non potest, quod Sacrificium fit super sepulturam, in qua cadaver humatum est, quamvis in altari habeantur reliquiae Sanctorum: quod non licet ex lege Decreti, nisi sufficiens distantia ponatur inter altare et cadaver, adeo ut comprobetur altare super cadavera non esse. Aliunde, si ratio allata suo robore polleret, unusquisque posset profundius excavare sepulcrum, Decretumque inutile reddere.

Neque refert, credimus, si subterraneus locus nullam hebeat ab intra, sed ab extra tantum, cum superiori Cappella communicationem, ut ab alia ianua ingressus in illum pateat. Etenim nec multum nec parum influere id potest circa sepulturae locum, qui subtus altare manet; cum etiam, quavis communicatione exclusa inter superiorem locum, et inferiorem, inconveniens lege vitandum aeque comprobetur. Consequenter reponendum credimus, in superiori Cappella, rebus sic stantibus, celebrari non posse. Haec quidem, si cadavera iacent in plano Cappellae inferioris: secus, si subtus dictum planum; tunc enim celebrari certo posset in superiori Cappella.

c) Ad hoc Dubium respondemus affirmative, quia lex Decreti non violatur, sed observatur. Nonne enim in Ecclesiis, in quibus antiquitus, et etiam adhuc aetate nostra, cadavera sepeliebantur, dummodo competens ab altaribus distantiae spatium intercederet, celebrari poterat? Ergo a pari in Cappella satis ampla, de qua in Dubio: supponitur enim unius circiter metro distantia inter altare et cadavera. Nulla lex namque vetat, imo approbat, commendat et exigit christianus spiritus, Cappellas in coemeteriis, quamvis hae ad defunctorum cadavera sepelienda sint destinatae. Dummodo igitur lex

distantiae servetur, in dictis Cappellis indubie celebrari potest. Cumque id comprobetur in proposito Dubio, ratio patet affirmativi responsi.

II. *Ex eod. loco.* **De praecedentia cuiusdam Cappellani in processione.** Cappellanus quidam ex Ordine Ierosolymitano, veste talari caerulei colori indutus cum mantelleto ac bireto respondenti, si invitatus non fuerit, potest ne partem processionis efficere post statuam, e sua paroecia exeuntem contra proprii Parochi voluntatem? An potius sicut alii indutus nullo iure gaudet ad locum distinctum? Quid, si agatur de Praelato, qui sit Episcopo inferior?

Resp. Caeremoniale Episcoporum *(Lib. II, Cap. 32, n. 5)* agens de loco Praelatorum in processionibus, sic se exprimit: « Praelati, si qui aderunt, de gremio Ecclesiae, ibunt immediate ante Episcopum, alii vero Praelati..... post Episcopum ». Quae verba legis commentans cl. De Herdt, scribit: « Praelati de gremio Ecclesiae sunt parati, et ideo ante Episcopum incedunt, alii autem in habitu praelatitio post eum procedunt (*Loc. cit.*).

Iam nunc agitur in casu de Cappellano, qui defert Mantelletum, ut Praelatus esse videatur; sed hoc non intelligitur, quia ad Ordinem Ierosolymitanum pertinet, et nisi sit Episcopus, Praelatus esse nequit. Erit ergo illud quoddam sui generis indumentum, Ordinis fortasse proprium, Cappae fortasse instar, quod certe Praelatitium habitum non constituit. Hinc ius ei non competit incedendi processionaliter post Episcopum, seu in casu post statuam, nisi forte illi faveret ratio consuetudinis. Namque distinctum locum istum pro Praelatis assignat codex legis; ergo illi non competit, qui non est eiusmodi. Si ergo interesse processioni velit, alii clero se adiungat, quin tamen aliorum iura laedat, consequenter et superpelliceo utatur. Si vero ita dubium nobis propositum intelligendum, ut Cappellanus Ordini Ierosolymitano inserviat, ex eodem tamen

Ordine non sit, tunc ratione Mantelleti aut Praelatus est, aut uti talis considerari potest, et locum Praelati occupare posse videtur, ut supra.

Quod vero spectat Ecclesiam, e qua exire debet processio, providere debet Episcopus, attentis semper iuribus Parochorum Rectorumque Ecclesiarum, consuetudinibus, locorumque adiunctis. Quod denique spectat Praelatorum distinctum locum verba legis retulimus, et De Herdt animadversionem. Hinc si Praelatus de Ecclesiae gremio sit, cum clero incedat: secus in habitu praelatitio post statuam.

III. *Ex eodem loco.* **Iterum de duobus Decretis, quae inter se non convenire dicuntur.** Insistit adhuc Ill.mus et R.mus Consulens super duo Decreta, nempe 3756, et 3924 ad VI quod sibi contradicere videantur. De hac, apparenti tamen, contradictione verba fecimus in num. 10 anni praeteriti, et dubia proposita circa eorum incohaerentiam omnino dissipata visa sunt. Cum nihilominus aliter negotium adhuc appareat, super eo redire cogimur. Itaque sequentia ad rem animadvertimus: *a*) Decretum primum loquitur in num. I de duplicibus 2 classis, quae diebus suis per accidens impediuntur ita, ut locus in Calendario non suppetat: hoc legenti Decretum satis superque patet. *b*) In num. vero II de iisdem duplicibus 2 cl. agit, loquitur enim de *praefatis rerum adiunctis,* quae iuxta numerum I in eo consistunt, ut duplicia II cl. suis diebus impedita dies liberos non habeant in anni decursu, in quibus reponi possint. Statuit autem hic num. II quid Calendariorum ordinatores *in* iisdem *praefatis rerum adiunctis* agere debeant. *c)* Num. autem III praescribit, ut iidem Calendariorum ordinatores in reponendis officiis, ut supra impeditis, simplificandisque semiduplicibus atque etiam duplicibus, curent, ut dies aliqui nunquam desint, in quibus Missae de requie fieri possint. Ergo luce, ut nos cre-

dimus, meridiana clarius manifestum fit, praedictum totum Decretum agere exclusive in singulis numeris de solis duplicibus II classis, diebus suis impeditis, et nihilominus non habentibus in toto decursu anni locum, ex dierum liberorum defectu, quo reponi possint.

Quid vero Decretum alterum? Nonne agit de festo classico particulari, et quidem duplicis I classis ritus, uti constat ex exemplo allato *Titularis Ecclesiae aut Patroni loci?* Quod idem constat ex petitione; quaeritur enim, num eiusmodi festum per accidens impeditum propter Octavam privilegiatam reponi possit immediate post Octavam, translato inde festo occurrente, vel simplificato aut omisso si transferri nequeat. Porro eiusmodi petitio exorbitans prorsus esset, si ageretur de festo II classis impedito, uti periti satis intelligunt. Ergo alius omnino est casus ab altero, quem respicit Decretum primum, hoc est 3756. Praeterea, cum Decretum alterum petat, ut dicta festa I classis reponantur impedita immediate post octavam, manifesto supponit alios dies sequentes liberos, in quibus assignari possunt. Secus, ut indultum facilius haberetur, id indubie exposuisset Orator: quamvis neque id iudicemus necessarium; sed hypothesim veluti impossibilem esse nemo non videt. Ergo, etiam sub hoc respectu, casus alterius Decreti a casu primi toto caelo discriminatur.

Sed duo obiiciuntur, quorum primum est titulus Decreti primi, qui agit in genere de Indulto *transferendi duplicia II classis in dies impeditos:* unde sequitur, a fortiori transferri posse, eodem modo ac duplicia II classis, officia quae sunt ritus duplicis I classis. At reponimus, rationem tituli nil ponderis habere; *a*) quia loquitur de duplicibus II classis, pro quibus peculiaris existere potest ratio, quae duplicia I classis, non afficiat. *b*) Quia, quando et quomodo eiusmodi duplicia II classis sint transferenda in dies impeditos, explicite in decursu Decreti exprimitur, hoc est

quando nulla dies libera pro iis reponendis infra annum superest. Ergo si et hoc applicari velit ad duplicia I classis, non adversamur; sed Indultum generice sumere, sicut pro duplicibus II classis non licet, ita nec licebit pro duplicibus I classis. Indultum enim hoc tantum dicit, duplicia II classis impedita, quibus locus in anno non suppetit, posse reponi in semiduplicibus, hisque deficientibus, etiam in duplicibus. Non licet ergo ea in dictis semiduplicibus aut duplicibus reponere, si alii sint dies liberi pro iis reponendis. Ergo idem ad summum praedicari iure, imo a fortiori poterit de duplicibus I classis; sed Indulti extensio etiam ad casum, quo alii dies liberi supersunt, hoc profecto in Indulto nulla ratione continetur.

Alterum constituunt verba primi Decreti (II), quae indulgent, ut in semiduplicibus atque etiam in duplicibus reponi possint officia 2 cl. impedita, *haud obstantibus diebus liberis postea subsequentibus, in quibus alia officia minus solemnia reponentur*. Sed haec quoque difficultas vim nullam possidet, dummodo recte Decreti dispositio intelligatur. Animadvertendum est enim, plura duplicia II cl. esse posse diebus suis impedita, et aliqua ex iis reponi posse in diebus liberis, quia supersunt: sed non omnia, quia pro omnibus dies liberi non sufficiunt, ut semiduplicia proinde vel etiam duplicia minora sint occupanda. En ratio, ex qua Decretum non supponit dies liberos in num. I, sed supponit in num. II; aliqui enim dies sunt liberi, non vero tot, quot necessarii essent ad omnia praefata duplicia reponenda. Quid ergo, his positis, Decretum edicit? Ut duplicia II cl. diebus suis impedita occupent semiduplicia vel etiam duplicia, quamvis dies liberi subsequentes maneant, in quibus reponi debent alia minus solemnia officia. Id autem edicit, quia primi dies occupandi ab impeditis officiis esse deberent liberi, et postea alii a semiduplicibus et duplicibus impediti. Ex quo tamen se-

queretur, duplex aliquod 2 classis longius esse quandoque transferendum a die sua, et fortasse etiam post aliquod duplex maius vel duplex Doctoris Ecclesiae impeditum. Ut ergo hoc incommodum vitaretur, S. R. C. indulget, ut dies a semiduplici vel duplici impediti prius occupari possint, quam dies liberi.

Sit exemplum: Officia decem impediuntur in Calendario, ex quibus sex sunt duplicia 2 cl. quatuor duplicia maiora; sed dies liberi sunt tantum septem, ut tres dies impediti occupandi sint.

Sed nota, duplicia 2. cl. impedita ius habere ut praeferantur in repositione duplicibus maioribus, quamvis haec prius impedita in Calendario fuerint. Ergo, cum illa reponi prius debeant, et nonnisi dies liberos de iure possint occupari, in his reponenda erunt dicta duplicia, ex quibus aliqua ex necessitate repositionem invenire tantum possunt circa finem anni. Sex duplicibus sic repositis, pro ultimo duplici classico et pro quatuor maioribus eligendi sunt dies semiduplices vel duplices, ut in his illa impedita reponantur. Verum hi dies semiduplices vel duplices eligentur proximius relativis diebus festis; sed ex eo fiet ut duplicia maiora praecedentiam necessario habeant supra duplicia 2 cl. diebus liberis reposita. Ne ergo id accidat, sacrum Tribunal disponit, ut dies semiduplices vel etiam duplices eligantur pro duplicibus classicis reponendis, et in aliis diebus subsequentibus liberis reponantur officia minus solemnia. En sensus Decreti: ex quo patet, nec parum nec nihil eiusmodi dispositionem favere posse duplicibus 1 classis, nisi eadem in conditione versentur ac duplicia 2 classis. Hinc patet simul, duo praefata Decreta, nempe 3756, 3924 ad VI, nihil communis habere inter se, cum illud respiciat duplicia 2 classis impedita, quibus locus in anni decursu non suppetat in Calendario, istud vero spectet tantum duplex 1 cl. impeditum, cui bene in Ca-

lendario locus suppetit. Ergo optime stat utrumque, et nulla inter alterum et alterum habetur incohaerentia.

IV. *E civitate Segoviensi* (*in Hispania*). **De secunda Missa cantanda vel omittenda in Vigilia Assumptionis B. V. M., occurrente alio Festo eiusdem Deiparae.** — Quum tota in hac dioecesi sub die 16 Iulii Dedicationis omnium Ecclesiarum Festum celebretur, transferenda est perpetuo in primam diem liberam in Kalend. a S. R. C. approbato (quae dies 14 est Augusti, festivitas B. M. V. de Monte Carmelo, utpote quae ritu gaudet inferiori. Iamvero Vigiliae commemorationem omittendam in hoc festo translato, et ad Vesperas et in Missa, edicit Dec. 4037, ad 2: dubium vero est an in cathedrali et collegiali Ecclesiis post Sextam cantari queat secunda Missa conventualis de Vigilia? Id enim vetitum videtur Decretis 3209 et 3921.

Resp. Decretum primum, ex duobus ultimo loco citatis, nempe 3209, non facit ad rem, quod in eo agatur de Missa votiva, dum casus propositus respicit Missam conventualem. Ad rem autem videtur facere Decretum alterum nempe 3921, quod in genere vetat plures Missas de eodem festo fieri eodem die in eadem Ecclesia, nisi omnino fiant extra officium chorale; ut duas quoque Missas conventuales includere vetitum videatur.

Quidquid sit, animadvertimus, re in se spectata, duas conventuales Missas de eodem festo, eodem die, in eadem Ecclesia non esse iuxta spiritum Rubricarum, ac proinde non esse agendas. Ratio est, quia Missa conventualis est consummatio officii, quod autem perfectum est, additionem non patitur. Insuper bis in idem haberetur, quod sacra Liturgia non admittit. Denique nullum in Rubricis reperitur exemplum de eadem iteranda Missa in officio, si tres Missas Nativitatis excipias, quae nihilominus tribus diversis Mysteriis, seu Nativitatibus respondent, hoc est aeternae, spirituali, temporali.

Sed inquirendum modo, num vere in casu habeatur Missa de eodem; festum enim agitur de Deipara, aliud autem est quidem Deiparae, at non est festum, sed vigilia. Verum, quantum videmus, idem de vigilia dicendum credimus, quod de festo; quia tam festum quam vigilia de eodem sunt. Ita Tetamus, cuius ad rem verba referre opportunum ducimus: « Nec videtur contendi posse, Missas vigiliarum de Sanctis, non esse de iisdem. Satis enim esse insinuat Collecta, Communio, Postcommunio, et partes aliae Missarum huiusmodi; etsi non sint Missae festivae sed feriales... utpote quae institutae sunt pro vigilia festi seu praeparatione ad illud devotius celebrandum atque adeo ratione diversa ab ea, ex qua instituta est Missa festi; sed tamen in honorem eiusdem Sancti, quemadmodum est Missa festi, ideoque principium festi eas vocat recte Meratus t. 1. in Gavant. p. 1, tit. 1, n. 4. Deinde ex sententia omnium Rubricistarum, teste Cavalerio, *t. 2, c. 32, comment. in Decr. 1, n. 2, et c. 33 in Dec. 7, n. 5*, ubi illam etiam admittit in vigilia Patroni principalis habentis officium vigiliae, non est in suffragiis communibus facienda commemoratio illius: ne de eodem eâdem die fiat officium et commemoratio... Ergo officium vigiliae Sanctorum est officium eorumdem, aliquo saltem modo; quidni ergo erit et Missa? Confer dicta 14 Augusti, n. 3 et 5, ubi notavimus Missam vigiliae Assumptionis B. V. esse Missam eiusdem, quae est sententia Rubricistarum. Denique ipso Cavalerio docente, *eodem l. tom. 2. cap. 15, Comment. in Decr. 2, n. 18* in fine: « in feria maiori commemoratio vigiliae, quae fit in Missa, non censetur commemoratio de feria, sed magis de sancto, cuius festum vigiliae praevenitur *(Tract. I, Lib. III, Pars II, Not. Mens. Dec. Art. II, n. 5)*. » Dicta a cl. auctore confirmat S. R. C. per Decretum ab adm. Rev. consulente citatum, quod in festo alio Deiparae, die 14 Augusti re-

colendo, vigiliae eiusdem Deiparae commemorationem omittendam dicit. Ergo com. vigiliae Deiparae uti com. festi eiusdem obiecti indubie censenda: ut consequenter Missa vigiliae Assumptionis ac Missa de festo idem habere obiectum censendum sit. Ergo eodem die, in eadem Ecclesia, non sunt cantandae duae Missae conventuales, altera de festo, altera de vigilia, sed illa tantum.

Nota. Dubium circa librorum liturgicorum approbationem cl. Consulens resolutum inveniet in *Ephem. Liturg.* anni 1898 ad pag. 256 et seq. Quod si, iis haud obstantibus, quae ibi discutiuntur, adm. Rev. Dom. de rei certitudine adhuc dubitet, aliam non videmus rationem certitudinis ac securitatis assequendae, quam ad S. R. Congnem habere recursum, ut negotium declaret: quod nobis gratissimum foret, sicut omnibus perutile.

V. *Ex eod. loco.* **De concursu inter sacrae Familiae et Inventionis pueri Iesu festa.** Quomodo ordinandae sunt Vesperae, concurrentibus simul festo Sacrae Familiae, et Inventionis pueri Iesu? Nonne integrae Vesperae de sacra Familia, et omittenda com. sequentis? Antiphonae enim utriusque festi pro obiecto videntur habere factum inventionis; et Decretum 4042 ad III probare videtur omissionem commemorationis.

Resp. Nec Vesperas credimus esse integras Sacrae Familiae, nec commemorationem praecedentis omittendam. Ratio est, quia cum agitur de festis Domini, ut fiant integrae Vesperae de altero, et alterum omittatur, etiam quoad commemorationem, requiritur identitas, tam subiecti quam obiecti. Iam nunc *transeat* ut identitas subiecti admittatur in casu; sed identitatem obiecti non videmus. Diximus *transeat* circa identitatem subiecti, quia quamvis festum S. F. denominetur a principali subiecto, nihilominus festum est complexum, et non solum ad Dominum pertinet, sed ad Virginem matrem, sponsumque eius Io-

seph. Quo vero ad obiectum pertinet, quamvis aliquid proprii in commune pertineat, materialiter acceptum, ad utrumque festum, nihilominus obiectum, ut ita dicamus, formale, seu ratio festi unius toto caelo differt ab alia. Quid enim spectat festum Inventionis pueri Iesu, nisi mysterium admirandum et adorandum? Quid vero festum S. F. nisi domesticam in terrestri Trinitate vitam celebrandam et imitandam? Non ergo idem, sed prorsus diversum obiectum formale habent haec duo festa, quae propterea in uno eodemque non esse confundenda arbitramur.

Hoc posito, cum utrumque supponatur eiusdem ritus, seu duplicis maioris, eadem in utroque habeatur personalis dignitas, eadem secundarii qualitas, Vesperas potius dividendas, quam integras S. Familiae credimus tribuendas. Hinc quoque oritur, commemorationem alterius festi non esse omittendam, quia in festis Domini nunquam alterius com. omittitur, nisi in utroque et subiecti et obiecti habeatur identitas. Decretum vero 4042 ad 3. non favet contrariae sententiae; quia agitur in eo de alio festo Deiparae, non de alio festo Domini. Notum est autem, festum Deiparae amittere commemorationem, quando sola subiecti identitas habetur. Salvo igitur meliori iudicio, censemus in casu et Vesperas dividendas, et alterius commemorationem agendam.

Nota. Tres hymni S. Petri ad Vincula nullo possunt iure appellari historici, quod perpendenti et fortasse vix legenti satis superque patet. Non ergo subest ratio, si casus accidat ut primis Vesperis festum careat, eos vel transferendi vel coniungendi; consequenter, uti prostant, legi debent.

VII. *E Neapoli*. **De *Alleluia* et ℣. unde sumendis ad Missam in festis translatis**. Si festum S. Ioannis Chrysostomi transferatur ad tempus paschale, undenam sumenda sint *Alleluia* cum ℣. post Epistolam, an ex Missa S. A-

thanasii (die 2 Mai.)? Item undenam praedicta sumenda in translato ad tempus paschale festo S. Gregorii?

Resp. Applicanda est in casu Rubrica specialis, suppeditans tamen normas generales, quae in Missali prostat post festum S. Benedicti Abbatis, videlicet: « De festis duplicibus quae transferri possunt, et veniunt a Dominica Palmarum (*et etiam quae ante hoc tempus impediuntur, cum eadem sit ratio*) nihil fit; sed post Octavam celebrantur: et tunc in fine Introitus... dicuntur duo *Alleluia* etc. Post Epistolam non dicitur Graduale, sed dicuntur duo versus cum quatuor *Alleluia*...» Unde autem hi Versus et *Alleluia* sumendi nisi a Missa de Communi, e qua fere omnes partes, quae Missam efformant in corpore Missalis posita, desumptae fuere? Iam nunc Missa S. Ioannis Chryostomi Conf. Pontificis et Doctoris, paucissimis mutatis, nonnisi Missa est de Communi Doctorum, et revera quae in corpore Missalis inscribitur, respondet illi, peculiariter quod attinet Introitum, Epistolam et Evangelium. Ergo ex hac Missa de Communi sumendae sunt praedictae partes, seu *Alleluia* omnes et versus. Difficultas fortasse ex hoc orta est, quod nonnullae partes Missae, quae pro S. Ioanne Chrysostomo in corpore Missalis habetur, desumptae fuerunt ex aliis Missis: uti duo versus Gradualis e Missa prima Confessoris Pontificis, versus post duo *Alleluia* e prima Confessoris non Pontificis etc. Quidquid nihilominus sit, indubium est Missam esse pro praecipuis suis partibus de Communi Doctorum; cum ergo a tempore extra tempus paschale ad paschale tempus festum sit transferendum, Rubrica ab initio relata applicari potest ac debet, et partes quae veluti propriae censeri possunt, cum dici nequeant in casu, uti versus post duo *Alleluia* qui unicus est, de Communi accipiendae sunt, uti regula generalis docet. Idem dicas pro casu S. Gregorii Magni, quamvis Introitum secundae Missae Confessoris Pontificis habeat, cum eadem sit ratio.

IX. *Ex Dioecesi N.* **De nova specie Missae pro re gravi.** Ad obtinendam e caelo pluviam si Missam de requie pro omnibus Defunctis Episcopus ordinaverit, cum causa gravis sit censenda, nonne ipsa Missa pro re gravi considerānda est? Quaeritur: quomodo ista Missa est ordinanda, seu circa diversa formularia, seu circa Orationes?

Resp. Antequam proposito dubio faciamus satis, Missa de requie pro re gravi perpendenda nobis est. Equidem hanc Missam quatenus libera est et cum officio diei non conveniens, ad votivas reduci posse non diffitemur; sed eius naturam, quatenus profecto Missa est, esse ab aliis omnibus diversam nemo inficiabitur. Iam nunc Episcopus ius habet votivam pro re gravi Missam indicendi, saltem ex iis, quae votivae sunt et legi possunt; at ius ne habebit Missam indicendi de requie, item pro re gravi, quia ex votivis est, vel ad votivas saltem reduci potest? Fatemur aperte, non credimus, quoadusque saltem competens auctoritas non declaraverit. *a)* Namque primo Missae de requie, votivae in communi loquendi liturgicorum sensu non sunt: hinc non hoc nomine, sed de requie nuncupantur. Aliunde votivae Missae, licet cum officio diei non concordent, concordare tamen possunt, quod repugnat ut de Missis defunctorum comprobetur. *b)* Praeterea pro Missis de requie peculiaria et Generalia etiam extant Decreta, eas prohibentia diebus duplicibus, et nusquam legitur potestas facta Ordinariis illas in duplici indicendi, sicut de votivis habetur. *c)* Nimia daretur hac super re libertas Ordinariis, qua ipsis utentibus, aliquod incommodum derivaret. Ex. gr. Missam votivam pro re gravi possunt indicere Ordinarii quacumque die, duplici tantum primae classis, eiusdemque classis Dominica exceptis. Ergone poterit indici ab illis Missa de requie, esto solemnis, uti votiva, diebus duplicibus II classis, in quibus ne Missae quidem privilegiatae, si exequialem excipias, permittuntur? Quid diceres, si Ordina-

rius indiceret solemnem Missam de requie diebus Dominicis et festis, etiam II classis? Quod tamen ab Ecclesiae sensu et praxi prorsus est alienum, nisi de exequiali tantum Missa agatur, ut Rubrica Ritualis impleatur? *d)* Missa solemnis pro re gravi impedita, suppletur, de iure, a commemoratione sub unica conclusione dicenda cum unica, vel prima, Oratione Missae diei; nonne exorbitans quid putares v. gr. in Missa Paschae, Nativitatis, etc., Orationem *Fidelium*, *Deus*, cum Oratione Sanctorum solemnitatum coniunctam? *e)* Denique haec Missa de requie, votiva, pro re gravi novum sapit, et rebus novis studere aut plaudere vel eas admittere nequimus. — Hinc eiusmodi novam speciem Missae votivae pro re gravi reprobandam arbitramur, saltem quoad S. R. C. non admiserit, limitesque determinet, intra quos indicere eam valeant Ordinarii.

His positis, respondemus ad Dubium duplex, quod proponitur. Primo quaeritur quomodo sit ordinanda circa formularia: et reponimus eam esse ordinandam ut in ultimo formulari, seu uti Missa quotidiana, quam tamen Ordinarius in solo semiduplici poterit praescribere. Non enim eiusmodi Missa, uti diximus, votiva pro re gravi est; neque privilegiatam agnoscimus, cum privilegiatae illae sint tantum, quae diebus a Rubrica statutis celebrantur. Cum ergo non sit de die obitus, neque post acceptum illius nuntium, neque de diebus III, VII, XXX et anniversario, neque de anniversario late sumpto, remanet ut ad quotidianas pertineat, quae sive sit solemnis, sive privata, in solo semiduplici aut inferiori ritu haberi potest, numquam in duplici, sine privilegio. Quaeritur secundo quot Orationes habere debeat. Tres, reponimus, et non plures, si sit in cantu: plures, si sit lecta, quod ex Rubrica Gen. Missalis constat (*Tit. V, num. 4*), sicut in Missis quotidianis agendum est. Haec tantum dicere possumus, nimia interim curiositate, vel potius studiositate affecti, ut Dubium Sa-

cro Rituum Tribunali, utpote novum, proponatur, illius sententiam expectaturi.

X. *E Borussia.* **De Pascha nostra non conveniente cum Pascha Iudaeorum.** In prooemio ad Rubricas generales tum Missalis tum Breviarii, « de Anno et eius partibus », § de festis mobilibus, dicitur: « Proximus dies Dominicus diem hunc XIV (lunae) sequens, *ne cum Iudaeis conveniamus*..... sit dies Paschae ».

Quaeritur utrum illa clausula « *ne cum Iudaeis conveniamus* » accipienda sit in rigore literae, ita ut Pascha nostrum numquam coincidere debeat Paschae Iudaeorum, an potius sensu morali, ita ut ordinarie non coincidat ?

Ratio dubii est quia quocumque computo utantur Iudaei, videtur non posse vitari quin aliquando, semel saltem quolibet quinquennio vel sexennio, coincidere debeant dies solemnis Paschae eorum et nostri.

Enimvero, si utantur nostro computo ecclesiastico, et luna XIV mensis Nisan incidat in Sabbato, tunc in nocte illius Sabbati comedunt Agnum sacrum, *et crastino die dominico celebrant solemnitatem. Sed illo die dominico post XIV lunam,* iuxta decretum Concilii Nicaeni, est etiam celebrandum nostrum Pascha. En coincidentia. — Si vero computent dies lunae iuxta phases astronomicas, idem casus a fortiori debet accidere. Dico a fortiori, quia lunationes ecclesiasticae saepe praecedunt una die et plus astronomicas. — Si autem computent iuxta phases vulgares visibiles absque instrumento, prout tempore Moysis computabant, adhuc a fortiori et saepius idem casus debet evenire; nam tunc quando ipsis est Luna XIV, nobis est XV vel etiam XVI. — Ergo videntur illa verba Rubricae accipienda sensu lato, scilicet: *ne cum Iudaeis saltem ordinarie conveniamus.*

Et hoc confirmatur eo quod Computistae ecclesiastici non solent afferre hanc rationem; et ex historia ecclesia-

stica constat Patribus Concilii Nicaeni non fuisse hanc rationem *praecipuam* et *immediatam* statuendi diem Paschae in Dominica post XIV lunam.

Resp. Quidquid alii dicant, contrarium tenendum putamus, nempe quod illa clausula in Prooemio ad Rubricas generales tum Missalis, tum Breviarii posita : « ne cum Iudaeis conveniamus » *per se* stricte seu rigorose accipienda est, et non sensu quodam lato et morali.

Rationes in contrarium allatae videntur falso fundamento inniti, seu falso conceptu de Paschate Iudaeorum Et sane, in dubio dicitur : si luna XIV mensis Nisan incidat in Sabbatum, tunc in nocte illius Sabbati comedunt Agnum Paschalem et crastino die dominico celebrant solemnitatem. Atqui illo die dominico post XIV lunam, iuxta decretum Conc. Nic., est etiam celebrandum nostrum Pascha. En coincidentia. Negamus. Etenim apud Iudaeos plane distinguitur dies Paschatis a die Solemnitatis azymorum. Prima semper sub luna XIV Nisan celebratur, altera sequenti die nempe luna XV atque per hebdomadam usque ad diem XXI inclusive extenditur. Quod sane ex pluribus Scripturae locis patet. Ex. gr. ex Cap. XXIII Levitici habetur: *Mense primo*, **quartadecima die mensis**, *ad vesperum*, **Phase Domini est**. *Et quintadecima die mensis huius* **Solemnitas azymorum** *Domini est etc. Septem diebus azyma comedetis.* Ac proinde coincidentia nostrae Paschae potest aliquando convenire cum Solemnitate azymorum, numquam vero cum Paschate hebraeorum.

Insuper si Pascha Iudaeorum fieret luna XV, tunc Conc. Nic. non dixisset absolute, Pascha nostrum celebrandum esse in Dominica, quae prima sequitur lunam XIV, sed potius in ea quae sequitur lunam XV. Quinimmo, cum sunt septem dies paschales seu azymorum, Pascha nostrum celebrandum esset in Dominica quae prima sequitur lunam XXI mensis Nisan, ut non conveniamus cum Hebraeis.

Dixi *per se*; nam aliquando reapse accidere potest coincidentia luna XIV cum luna XV ac proinde coincidentia Paschatis Hebraeorum cum nostro; hoc, ut quisque videt; erit *per accidens*, ex diverso nempe modo computandi lunae tempora, tum apud Hebraeos, tum apud Christianos. Hebraeos namque non amplius nostram methodum, sed aliam plane diversam ab eorum Patriarcha Hillel efformatam, sequi compertum est, in qua luna XIV Nisan seu initium Paschae die 17 Martii ponitur. Quod quidem Concilium Nicaenum praevidere non poterat, sequebatur enim communiorem et vulgarem computationem.

BREVIORA RESPONSA

1. *Pro Gallia.* 1. Decretum 3923, quod respicit Lectiones de S. Scriptura legendas in I Noct. pro duplicibus maioribus, ita est intelligendum, ut festa quae hucusque easdem I Nocturni lectiones habuerunt proprias, aut de Communi, nequaquam tangat, sed illa tantum festa quae imposterum praecipientur vel concedentur. Consequenter Decretum, non pro praeterito, sed tantum pro futuro valet.

2. Canonicus, qui privilegio gaudet utendi Roccheto et Mozzeta, cum paratus Vesperas celebrat, optime potest super Rocchetum, Mozzeta deposita, pluviale induere sine superpelliceo, in casu enim pro superpelliceo stat Rocchetum (V. *Ephem. Liturg.* an. vertentis n. 2, pag. 77, sub initio).

3. Decretum in *Ragusina*, num. **1910** ad 3, edicit, *Celebrantem non Episcopum, facientem Officium in Matutinis, Laudibus et Vesperis* **non posse uti Alba**. Si tamen Vesperae statim post Missam persolvendae forent eadem in Alba decantare eas licet, quamvis et superpelliceum indui possit (*Marianopolitana num. 3574 ad 3*). Ergo pro Vesperis persolvendis Alba non est adhibenda, ac proinde

pro Benedictione cum Venerabili, quae illas sequitur, satis erit Stolam superpelliceo imponere.

4. Officium faciens Vesperarum, superpelliceo (vel Roccheto ac pluviali super stola) indutus, pluvialistis pariter comitantibus, non Alba sed superpelliceo indutis, non tenetur in sacrarium redire, ut superioribus depositis vestibus Albam cum reliquis de more indumentis assumat, una cum pluvialistis, ad Benedictionem solemnem cum Ostensorio impertiendam; sed uti est indutus illam dare potest, comitantibus pluvialistis. Hic quoque in Urbe mos est, quem retinent aliquae etiam ex observantioribus Ecclesiis.

5. In Ecclesiis quibuscumque, ad chorum non obligatis, optime licet in Dominicis et festis Vesperas canere, licet votivae sint et non de currenti festo. Cum enim non teneantur ad chorum, ad festum occurrens liturgice recolendum teneri nec possunt per occurrentes Vesperas. Attamen quaevis actio liturgica, si fiat, uti praescribitur facienda est, hinc Vesperae uti in Breviario praescribuntur, quod ritus attinet et caeremonias, persolvendae sunt, secus abortus erunt Vesperarum non Vesperae, et functionis corruptio ac deturpatio, quae illicita est. Quod occurrentes attinet commemorationes, docet De Herdt, eas non esse omittendas; quod vero nobis videtur est, Vesperas in casu esse votivas, non de currenti festo, et ad eas non esse obligatas Ecclesias, ut supponimus; ergo dummodo rite fiant, commemorationum occurrentium omissio eas non corrumpit, stant proinde et sine ipsis, neque eas lex ulla imponit.

6. Quare non debeat observari Caeremonialis Rubrica super praegustatione panis et vini in Pontificali illa Missa, quae eam requirit, non videmus: Rubrica est, ergo servanda. Quod si in desuetudinem abiit, quid interest? Consuetudo consuetudine vincitur. Ceterum nobis non competit talem consuetudinem cohonestare, sed legislatoris est.

7. Aliqua dignitas in qua constitutus esse debet Sacerdos pro aliquibus persolvendis actibus, ad quos delegatur ab Episcopo, lato sensu accipienda est: ex. gr. ut sit Vicarius foraneus, Dignitas in Capitulo, vel etiam Decanus etc., praeter alias praestantiores dignitates.

II. *Pro eodem loco.* 1. Cum Instructio in Rituali posita exigat pro Sacerdotibus recitantibus Exorcismum in Satanam auctoritatem re-

lativi Ordinarii, haec indubie requiritur sive pro Indulgentia lucranda, sive pro Exorcismi efficacia: fortasse ut per humilitatem exercitam ac dependentiam ab Ordinario efficacius ire possimus contra ducem superbiae, et poenae remissionem peccatis debitam facilius impetremus. Praelati autem regulares non censentur Ordinarii quod iurisdictionem attinet circa exercendos ritus et caeremonias in codicibus praescriptos. Hinc arbitramur, pro Ordinariis, de quibus Instructio, nonnisi Episcopos esse intelligendos. Nihilominus, credimus, auctoritatem episcopalem requiri pro recitatione *publica*, non vero pro *privata*.

2. Iuxta Moralis scientiae doctores quando Viaticum accipit infirmus, Sacerdos dicere debet verba in Rituali praescripta. Nihilominus non desunt auctores probati, qui dicunt, dato Viatico pro prima vice sub sua formula, posse aliis vicibus uti consueta formula communionis, maxime si infirmus magno afficeretur moerore in Viatici audienda formula. Casus de lethali morbo, quo manente, infirmus accedere ad Ecclesiam vel Oratorium possit, est speciosus. Non quidem, quia quandoque revera accedere nequeat, sed quia semper periculosa res est, et nunquam supponenda. Ceterum stat quod diximus.

3. Qui officium votivum recitavit, sed aliam celebrat Missam, eidem officio non respondentem, tenetur facere commemorationem officii recitati. Certum est ex recentiori Decreto.

4. Non sufficit asserere, sed documentum afferri debet, quo probetur, duplicia I. cl. Domini, non alia inferioris ritus, impedire Missam votivam de SS. Corde Iesu in VI feria primae hebdomadae cuiusvis mensis. Interim docemus in omni festo Domini cuiuscumque ritus, dictam Missam esse vetitam.

III. *Pro Slavonia.* 1. Quando in choro Tertiam sequitur Missa conventualis, post illam dicitur *Pater noster* etc. tantum sive *Ave Maria* etc. Ita Rubrica Gen. Breviarii, quae inter casus omittendi hanc dominicam Orationem non ponit casum Missae conventualis, quae sequi debet. Ceterum ex regula generali Oratio dominica semper dicitur post *Fidelium animae* etc.; atqui hic versus in casu dicendus, ergo.

2. Vere dies 13 *Ian.*, (non vero *Febr.*, ut ex errore diximus an. 1898, pag. 673 in nota) dies est natalitia Sanctorum Hermyli et

Stratonici, et constat ex Martyrologio Romano, recolitur autem in loco die 15 Februarii. Ita dies natalitia S. Ioannis Eleemosynarii est 23 Ian. et nihilominus sicut illud, ita festum istud extra diem propriam, seu 13 Febr. recolitur. Diximus loco citato utrumque festum diei suae restituendum; sed nesciebamus, illud relativis diebus a S. R. C. in Calendario quod approbavit, fuisse positum. Nunc autem dicimus aliqua certo ex causa fuisse motum Sacrum Tribunal, ut dicta festa extra diem propriam poneret. Cum ergo asserere nequeamus, id ex errore esse factum, nec consilium dare nobis licet, ut mutatio festorum fiat.

V. *Pro Neapoli.* 1. Lex nulla extat praescribens metrum distantiae inter parietem, in cuius loculis possunt esse cadavera, et altare: praxis etiam in coemeteriis Urbis vigens est contraria dictae hypotheticae legi. Quod autem vetat Ecclesia, est ut Sacrificium non fiat **super** cadavera defunctorum.

2. Quid interest, si ad altare habeatur Praesepe Domini? Rite ne dictum altare confectum est? Ergo in eo celebrari potest. In alma Urbe ad Praesepe, *generaliter* non ponitur altare aptum pro celebratione. Attamen Praesepe effingitur ad altare maius in Ecclesia S. Andreae, quae a Valle denominatur; et quia altare aptum relinquitur pro celebratione, semper in eo Missae fiunt.

3. Candelas in Missa lecta, etsi conventuali, extinguere circa finem ultimi Evangelii, non profecto liturgicum crimen reputandum, quamvis ex lege Evangelio absoluto, eas extinguere consultius sit, nisi iusta causa aliud suadeat.

4. Titularis commemoratio certe praeferenda commemorationi Patroni aut Fundatoris in suffragiis; illa enim de praecepto Rubricarum, istae ex sola consuetudine vel indulto fiunt. Id tamen intellige *ceteris paribus;* positis enim pluribus commemorationibus, et altera dignior, haec praeferenda iuxta Rubricas.

5. Nulla lex extat, ex qua lectiones VIII et IX coniungendae sint simul, IX occurrente lectione Homiliae Dominicae aut Feriae, Vigiliae, vel Simplicis. Decretum **2735** ad 2 dicit quidem iungendas duas praefatas lectiones in casu, sed conditionem addit « si sint historicae »: quae tamen conditio, nescimus, nisi forte perraro, quomodo comprobari possit. Haec proinde norma in praxi sequenda: duae lectiones VIII et IX non coniungendae, ut locus fiat Homiliae

vel lectioni Simplicis, nisi per consuetum signum indicetur. Hoc autem quandoque accidit, uti in lectionibus de Communi Doctorum, II loco (*edit. typ. an. MCM*). Id quidem, si officium publice agatur: si verum private recitetur, dato casu, etiam haud signo extante, VIII et IX coniungi possunt, id praefato permittente Decreto.

VI. *Pro Civitate N.* Quando exequiae non sunt vetitae, neque arbitramur esse vetitum campanarum sonitum; illae siquidem principale, iste vero accessorium constituunt, adeo ut, si illae fieri possint, haberi et iste queat. Diebus ergo solemnioribus, in quibus exequiae interdicuntur, campanarum quoque sonitus interdictus est. Hinc Decretum *Corduben.* n. **3570** (5866) ad I, dictis diebus hunc sonitum prohibet, quamvis exequias toleret post functiones Ecclesiae vespertinas. At diebus, quibus exequiae permittuntur, uti feriis II et III Paschae et Pentecostes, non videtur prohibitus sonitus campanarum, licet emortualis. Eoque magis, quia sonitus eiusmodi influit in levamen defuncti, quatenus saltem fideles excitat ad orandum pro illo.

SPECIMEN CALENDARII

UNIVERSALIS ECCLESIAE

PRO ANNO DOMINI 1902

in quo PASCHA contingit die 30 Martii

Tabella Temporaria.

Litera Dominicalis	c.
Aureus Numerus	3.
Epacta	XXI.
Litera Martyrologii	B.
Indictio Romana	XV.
Cyclus Solaris	7.
Dominicae post Epiphaniam . .	2.
Dominicae post Pentecosten . .	27.

Festa Mobilia.

Septuagesima	26 Ian.
Dies Cinerum	12 Febr.
PASCHA RESURRECT.	30 Mart.
Rogationes.	5, 6, 7, Maii.
ASCENSIO DOMINI. . .	8 Maii.
PENTECOSTES	18 Maii.
CORPUS CHRISTI. . .	29 Maii.
Dominica 1. Adventus. .	30 Nov.

Quatuor Anni Tempora.

In vere	19, 21, 22 Febr.
In aestate	21, 23, 24 Maii.
In autumno	17, 19, 20 Sept.
In hyeme	17, 19, 20 Dec.

NUPTIAE CELEBRARI POSSUNT

A die 7 Ianuarii ad diem 11 Februarii inclusive, et a die 7 Aprilis ad diem 29 Novembris pariter inclusive.

IANUARIUS

✠ 1 F. 4. CIRCUMCISIONIS DNI *d. 2. cl.*
2 F. 5. Oct. Stephani *d.* c. octavar.
3 F. 6. Oct. Ioannis *d.* c. oct.
4 S. Oct. Innoc. *d.*
✠ 5 D. *(vacat)* Vigil. Epiph. *sem.* c. Telesphori.
✠ 6 F. 2. EPIPHANIAE DNI *d. I. cl. cum oct. privil.*
CRAS MANE APERIUNTUR NUPTIAE
7 F. 3. De 2. die infra oct. *sem.*
8 F. 4. De 3. die infra oct. *sem.*
9 F. 5. De 4. die infra oct. *sem.*
10 F. 6. De 5. die infra oct. *sem.* c. Hygini.
11 S. De 6. die infra oct. *sem.*
✠ 12 D. infra oct. 1. p. Epiph. *sem.* c. oct. — *Inc. Ep. I. ad Corinthios.*
13 F. 2. Oct. Epiph. *d.*
14 F. 3. Hilarii *d.* c. Felicis.
15 F. 4. Pauli I. Erem. *d.* c. Mauri.
16 F. 5. Marcelli I. *sem.* — *Resumuntur Suffragia.*

17 F. 6. Antonii *d.*

18 S. Cathedrae Rom. *d. m.* c. Pauli Ap. ac Priscae.

✠ 19 D. 2. p. Epiph. NOMINIS IESU, *d. 2. cl.* c. Dom. (ac Marii et Soc. in Laud. et Miss. priv.) Nihil de Canuto.

20 F. 2. Fabiani et Sebastiani *d.* — *Inc. Ep. II. ad Corinthios*, ex Dom. praec.

21 F. 3. Agnetis *d.*

22 F. 4. Vincentii et Anastasii *sem.* (Romae *d.*)

23 F. 5. Raymundi a Pennaf. *sem.* c. Emerentianae. — *In Stat. Eccl. et Veneto.* Desponsat. B. M. V. *d. m.* c. Ioseph ac Emerentianae.

24 F. 6. Timothei *d.*

25 S. Convers. Pauli *d. m.* 9. l. hom. Dom. 3. p. Epiph. c. Petri Ap. (ac Dom. in Laud. et Miss. tant.)

✠ 26 D. SEPTUAGESIMAE *2. cl.* c. Polycarpi.

27 F. 2. Io. Chrysostomi *d.*

28 F. 3. Agnetis *simp.* — *vel* Vot. App. c. Agnetis — (1) *aliq. loc.* (*a*) Orationis Dni *d. m.* c. Agnetis — (*b*) S. Familiae (*f. 26 hui.*) *d. m.* c. Agnetis.

29 F. 4. Francisci Salesii *d.*

(1) Maioris perspicuitatis gratia diebus 28 huius mensis, 13, 14, 15, et 17 Februarii literae alphabeticae praemittuntur variis officiis: earumdem autem significatio heic subiicitur:

(*a*) Ubi praeter Officia Passionis Domini concessum est Officium S. Familiae.

(*b*) Ubi est concessum Officium S. Familiae tantum.

30 F. 5. Martinae *sem.* (Romae *d.*)

31 F. 6. Petri Nolasco *d.*

FEBRUARIUS.

1 S. Ignatii *d.*

✠ 2 D. SEXAGESIMAE *2. cl sem.*

3 F. 2. PURIFICATIONIS B. M. V. (*f. heri*) *d. 2. cl.* c. Blasii (in Laud. et Miss. priv.)

4 F. 3. Andreae Corsini *d.* — *aliq. loc.* Comm. Passionis *d. m.* c. Andreae Corsini.

5 F. 4. Agathae *d.*

6 F. 5. Titi *d.* (*In Stat. Eccl.* Hyacinthae Mariscott. *d.*) c. Dorotheae.

7 F. 6. Romualdi *d.*

8 S. Ioannis de Matha *d.*

✠ 9 D. QUINQUAGESIMAE *2. cl. sem.* c. (*in Stat. Eccl.* Titi *ass. ex 6 hui.* et) Apolloniae.

10 F. 2. Scholasticae *d.*

11 F. 3. Sept. Fundatorum *d.* — *aliq. loc.* S. Columnae Flagellat. D. N. I. C. *d. m.* c. Sept. Fund.

CRAS CLAUDUNTUR NUPTIAE.

12 F. 4. CINERUM *simp.* (*Extra Stat. Eccl. in loc. in quib. concess. est Off. Desponsat.* c. Raymundi a Pennaf. *ass. ex 23 Ian.*)

13 F. 5. Cyrilli Alexandrini (*f. 9 vel 12 hui.*) *d.* — *In Stat. Eccl.* Raymundi a Pennaf. (*ass. ex 23 Ian.*) *sem.* — *aliq. loc. extra Stat. Eccl.* (*a*) S. Familiae (*f. 26 Ian.*) *d. m.* — Per tot. Quadrag. in Off. de Ss. dicitur 9. l. de hom. et fit com. feriae.

14 F. 6. De ea, c. Valentini — *vel* Vot. Passion. c. Valentini. — *aliq. loc.* Spineae Coronae *d. m.* c. Valentini — *aliq. loc. in*

Stat. Eccl. (*b*) Cyrilli Alexandrini (*f. 12 ass. ex 9 hui.*) *d.* c. Valentini.

15 S. De eo, c. Faustini et Iovitae. — *vel* Vot. Imm. Concept. c. Faustini et Iovitae. — *aliq. loc. in Stat. Eccl.* (*a*) S. Familiae (*f. 26 Ian.*) *d, m.* c. Faustini et Iovitae. — *aliq. loc. extra Stat. Eccl.* (*a*) Cyrilli Alexandrini (*f. 9 hui.*) *d.* c. Faustini et Iovitae.

Incipit pars verna Breviarii.

✠ 16 D. 1. QUADRAG. *1. cl. sem.*

17 F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel. — *aliq. loc. in Stat. Eccl.* (*a*) Cyrilli Alexandrini (*f. 12 ass. ex 9 hui.*) *d.*

18 F. 3. De ea, c. Simeonis — *vel* Vot. App. (*Romae.* Vot. Petri et Pauli) c. Simeonis.

19 F. 4. QUAT. TEMP. De ea — *vel* Vot. Ioseph.

20 F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacram.

21 F. 6. QUAT. TEMP. De ea — *vel* Vot. Passionis — *aliq. loc.* Lanceae et Clavorum *d. m.*

22 S. QUAT. TEMP. Vigil. (de qua nihil in Off.) Cathedrae Antioch. *d. m.* c. Pauli Ap. (In Miss. 4. or. Vigil.).

✠ 23 D. 2. QUADRAG. *2. cl. sem.*

† 24 F. 2. MATHIAE *d. 2. cl.*

25 F. 3. Petri Damiani (*f. 23 hui.*) *d.* — *In Italia.* Margaritae de Cortona *sem.*

26 F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph. — *In Italia.* Petri Damiani (*f. 23 hui.*) *d.*

27 F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacram.

28 F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis — *aliq. loc.* Sindonis Dni *d. m.*

MARTIUS

1 S. De ea — *vel* Vot. Imm. Concept.

✠ 2 D. 3. QUADRAG. *2. cl. sem.*

3 F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel.

4 F. 3. Casimiri *sem.* c. Lucii I.

5 F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph.

6 F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacram.

7 F. 6. Thomae Aquin. *d.* c. Perpetuae et Felicitatis — *aliq. loc.* Quinque Vulnerum Dni *d. m.* c. Perpetuae et Felicitatis.

8. S. Ioannis de Deo *d.*

✠ 9 D. 4. QUADRAG. *2. cl. sem.* c. Franciscae Rom.

10 F. 2. Quadraginta Mm. *sem.*

11 F. 3. De ea — *vel* Vot. App. — *aliq. loc.* Thomae Aquin. (*f. 7 hui.*) *d.*

12 F. 4. Gregorii Magni I. *d.*

13 F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacram.

14 F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis. — *aliq. loc.* Pretios. Sanguinis Dni *d. m.*

15 S. De eo — *vel* Vot. Imm. Concept.

✠ 16 D. PASSIONIS *1. cl. sem.* « Cessant Suffragia et Off. vot. ».

17 F. 2. Patritii *d.*

18 F. 3. Cyrilli Hierosol. *d.* — *aliq. lo* . Gabrielis Archang. *d. m.*

✠ 19 F. 4. IOSEPH *d. 1. cl.*

20 F. 5. De ea — *aliq. loc.* Cyrilli Hierosol. (*ass. ex 18 hui.*) *d.*

21 F. 6. Benedicti *d. m.*

22 S. VII Dolorum B. M. V. (*f.*

heri) *d. m.* (*In Italia* c. Catharinae Fliscae Adurnae).
✠ 23 D. PALMARUM *1. cl. sem.*
24 F. 2. mai. hebd. De ea.
✠ 25 F. 3. mai. hebd. De ea.
26 F. 4. mai. hebd. De ea.
27 F. 5. in COENA DOMINI *d. 1. cl.*
28 F. 6. in PARASCEVE *d. 1. cl.* (nihil de Ioanne a Capistr.)
29 SAB. SANCTUM *d. 1. cl.*
✠ 30 D. PASCHA RESURRECTIONIS *d. 1. cl. cum oct.*
† 31 F. 2. DE EA *d. 1. cl.*

APRILIS

† 1 F. 3. DE EA *d. 1. cl.*
2 F. 4. De ea *sem.* c. Francisci.
3 F. 5. De ea *sem.*
4 F. 6. De ea *sem.*
5 S. De ea *sem.* c. Vincentii
✠ 6 D. IN ALBIS *1. cl.* De ea *d.*
CRAS MANE APERIUNTUR NUPTIAE
7 F. 2. ANNUNTIATIONIS B. M. V. (*f. 25 Mart.*) *d. 1. cl.*
8 F. 3. Io. Damasceni (*f. 27 Mart.*) *d.*
9 F. 4. Isidori (*f. 4 hui.*) *d.*
10 F. 5. De ea « Suffr. de Cruce » — *vel* Vot. Sacram. (*sine Suffr. de Cruce*) — *Inc. lib. Act. Ap.* ex fer. 2. praec.
11 F. 6. Leonis I. *d.*
12 S. De B. M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept.
✠ 13 D. 2. p. Pascha. De ea *sem.* c. Hermenegildi.
14 F. 2. Iustini *d.* c. Tiburtii et Soc.
15 F. 3. De ea — *vel* Vot. App. (*Romae* Vot. Petri et Pauli).
16 F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph.
17 F. 5. Aniceti *simp.* — *vel* Vot. Sacram. c. Aniceti (*sine Suffr. de Cruce*).
18 F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis (*sine Suffr. de Cruce*).
19 S. De B. M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept.
✠ 20 D. 3. p. Pascha. PATROCINII IOSEPH *d. 2. cl.* c. Dom.
21 F. 2. Anselmi *d.*
22 F. 3. Soteris et Caii *sem.* — *Inc. lib. Apocal.* ex Dom. praec.
23 F. 4. Georgii *sem.*
24 F. 5. Fidelis a Sigmaringa *d.*
25 F. 6. MARCI *d. 2. cl.*
26 S. Cleti et Marcellini *sem.* — *aliq. loc.* B. M. V. de Bono Consilio *d. m.*
✠ 27 D. 4. p. Pascha — De ea *sem.* (*aliq. loc.* c. Cleti et Marcellini *ass. ex 26 hui.*). — *Inc. Ep. Iacobi.*
28 F. 2. Pauli a Cruce *d.* c. Vitalis.
29 F. 3. Petri *d.*
30 F. 4. Catharinae Sen. *d.* (Romae *d. 2. cl.*).

MAIUS

† 1 F. 5. PHILIPPI ET IACOBI *d. 2. cl.*
2 F. 6. Athanasii *d.*
† 3 S. INVENTIO CRUCIS *d. 2. cl.* c. Alexandri I. et Soc. in Laud. et Miss. priv.
✠ 4 D. 5. p. Pascha. Monicae *d.* c. Dom. — *Inc. Ep. I. Petri.*
5 F. 2. ROGAT. Pii V. *d.* c. fer.
6 F. 3. ROGAT. Ioannis ante P. L. *d. m.* (In Miss. 2. or. fer.).
7 F. 4. ROGAT. Vigil. Ascens. Stanislai *d.* c. Vigil. (In Miss. 3. or. Rogat.)
✠ 8 F. 5. ASCENSIO DOMINI *d. 1. cl. cum oct.*
9 F. 6. Gregorii Naz. *d.* c. oct. — *Inc. Ep. II. Petri.*

10 S. Antonini *d.* c. oct. ac Gordiani et Epimachi.

✠ 11 D. infra oct. De ea *sem.* c. oct. — *Inc. Ep. I. Ioannis.*

12 F. 2. Nerei et Soc. *sem.* c. oct.

13 F. 3. App. Michaëlis Archang. *(f. 8 hui.) d. m.* c. oct.

14 F. 4. De oct. *sem.* c. Bonifacii. — *Inc. Ep. II. Ioannis.*

15 F. 5. Oct. Ascens. *d.*

16 F. 6. Ubaldi *sem. (aliq. loc.* Ioannis Nepomuc. *d.)* c. fer. — *Inc. Ep. III. Ioannis.*

17 S. Vig. Pent. De ea *sem.* c. *(cum 9. l. ex 3 una)* Paschalis Baylon in Laud. tant. — *Inc. Ep. Iudae* « Cessant Octavae ».

✠ 18 D. PENTECOSTES *d. 1. cl. cum oct. privil.* (nihil de Venantio).

† 19 F. 2. De ea *d. 1. cl.* (nihil de Petro Caelestino et de Pudentiana).

† 20 F. 3. De ea *d. 1. cl.* (nihil de Bernardino Senens.)

21 F. 4. Quat. Temp. De ea *sem.* (*In Italia* c. Felicis a Cantal. — *aliq. loc. extra Ital.* c. Ubaldi, *ass. ex 16 hui.*).

22 F. 5. De ea *sem.* (*aliq. loc. in Italia* c. Ubaldi, *ass. ex 16 hui*).

23 F. 6. Quat. Temp. *sem.*

24 S. Quat. Temp. *sem.*

Incipit pars aestiva Breviarii.

✠ 25 D. 1. p. Pent. *1. cl.* Trinitatis *d. 2. cl.* c. Gregorii VII., Dom. (ac Urbani I. in Laud. et Miss. priv.).

26 F. 2. Philippi Neri *d.* c. Eleutherii — *Inc. lib. I. Reg.* (*Romae* ✠ Philippi Neri *d. 2. cl.* c. Eleutherii in Laud. et Miss. priv.)

27 F. 3. Bedae *Venerabilis d.* c. Ioannis I.

28 F. 4. Augustini Cantuar. *d.* — *Romae. Inc.lib. I. Reg.* ex Dom. praec.

✠ 29 F. 5. CORPORIS CHRISTI *d. 1. cl. cum oct. privil.* — *aliq. loc. cum oct. privil. ut Epiph.* (nihil de Maria Magdalena).

30 F. 6. De oct. *sem.* c. *sine l.* (*in Stat. Eccl.* Ferdinandi III. ac) Felicis I.

31 S. Angelae Merici *d.* c. oct. ac Petronillae.

IUNIUS.

✠ 1 D. infra oct. 2. p. Pent. De ea *sem.* c. oct.

2 F. 2. De oct. *sem.* c. (*sine l.*) Marcellini et Soc.

3 F. 3. De oct. *sem.*

4 F. 4. Francisci Caracc. *d.* c. oct.

5 F. 5. Oct. Corporis Christi *d.* c. (*sine l.*) Bonifacii.

6 F. 6. CORDIS IESU *d. 1. cl.* (nihil de Norberto).

7 S. De B. M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept. — *In Stat. Eccl.* B. M. V. Auxil. Christ. *(f. 24 Mai.) d. m.*

✠ 8 D. 3. p. Pent. De ea *sem.*

9 F. 2. Primi et Feliciani *simp.* — *vel* Vot. Angel. c. Primi et Feliciani.

10 F. 3. Margaritae *sem.*

11 F. 4. Barnabae *d. m.*

12 F. 5. Ioannis a S. Facundo *d.* c. Basilidis et Soc.

13 F. 6. Antonii *d.*

14 S. Basilii *d.*

✠ 15 D. 4. p. Pent. De ea, *sem.* c. Viti et Soc.

16 F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel.

17 F. 3. De ea — *vel* Vot. App. (*Romae* Vot. Petri et Pauli).
18 F. 4. Marci et Marcelliani *simp.* — *vel* Vot. Ioseph, c. Marci et Marcelliani.
19 F. 5. Iulianae de Falconeriis *d.* c. Gervasii et Protasii.
20 F. 6. Silverii *simp.* — *vel* Vot. Passionis, c. Silverii.
21 S. Aloisii *d.*
✠ 22 D. 5. p. Pent. De ea *sem.* c. Paulini. — *Inc. lib. II. Reg.*
23 F. 2. Vigil. De ea — *vel* Vot. Angel. c. Vigil.
✠ 24 F. 3. NATIV. IOANNIS BAPTISTAE *d. 1. cl. cum oct.*
25 F. 4. Gulielmi *d.* (*Romae et aliq. loc.* Gallicani *d.*) c. oct.
26 F. 5. Ioannis et Pauli *d.* c. oct.
27 F. 6. De oct. *sem.* — Hymn. Vesp. coniung. cum hymn. Matut. — *Romae et aliq. loc.* Gulielmi (*ass. ex 25 hui.*) *d.* c. oct.
28 S. Vigil. Leonis II. *sem.* c. oct. et Vigil.
✠ 29 D. 6. p. Pent. PETRI et PAULI *d. 1. cl. cum oct.* c. Dom. — *aliq. loc.* c. Dom. et omn. App.
30 F. 2. Comm. Pauli *d. m.* c. Petri Ap. ac oct.

IULIUS

1 F. 3. Nativ. Ioann. *d.* Hymn. Vesp. coniung. cum hymn. Matut. c. oct. App.
2 F. 4. VISITATIONIS B. M. V. *d. 2. cl.* c. (*Romae* oct. App. ac) Processi et Martiniani in Laud. et Miss. priv.
3 F. 5. De oct. *sem.*
4 F. 6. De oct. *sem.*
5 S. Antonii M. Zaccaria *d.* c. oct.
✠ 6 D. 7. p. Pent. PRETIOSISS. SANGUINIS DNI *d. 2. cl.* c. diei oct. App. et Dom.
7 F. 2. Cyrilli et Methodii *d.* — *Inc. lib. III. Reg.* ex Dom. praec.
8 F. 3. Elisabeth Portug. *sem.*
9 F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph — *Romae.* Prodigior. B. M. V. *d. m.* — *In Stat. Eccl.* Veronicae de Iulianis *d.*
10 F. 5. Septem Fratrum *sem.*
11 F. 6. Pii I. *simp.* — *vel* Vot. Passionis, c. Pii I. — *Romae* Veronicae de Iulianis (*ass. ex 9 hui.*) *d.* c. Pii I.
12 S. Ioannis Gualberti *d.* c. Naboris et Felicis.
✠ 13 D. 8. p. Pent. De ea *sem.* c. Anacleti — *aliq. loc.* Comm. omn. Pontif. *d.* c. Dom. et Anacleti.
14 F. 2. Bonaventurae *d.*
15 F. 3. Henrici *sem.*
16 F. 4. B. M. V. de Monte Carmelo *d. m.*
17 F. 5. Alexii *sem.* (Romae *d.*).
18 F. 6. Camilli *d.* c. Symphorosae et Filiorum.
19 S. Vincentii a Paulo *d.*
✠ 20 D. 9. p. Pent. Hieronymi Aemiliani *d.* c. Dom. et Margaritae. — *Inc. lib. IV. Reg.*
21 F. 2. Praxedis *simp.* — *vel* Vot. Angel. c. Praxedis.
22 F. 3. M. Magdalenae *d.*
23 F. 4. Apollinaris *d.* c. Liborii.
24 F. 5. Vigil. De ea, c. Christinae — *vel* Vot. Sacram. c. Vigil. et Christinae.
† 25 F. 6. IACOBI *d. 2. cl.* c. Christophori in Laud. et Miss. priv.

† 26 S. Annae *d. 2. cl.*

✠ 27 D. 10. p. Pent. De ea *sem.* c. Pantaleonis.

28 F. 2. Nazarii et Soc. *sem.*

29 F. 3. Marthae *sem.* c. Felicis II. et Soc.

30 F. 4. Abdon et Sennen *simp.* — *vel* Vot. Ioseph, c. Abdon et Sennen.

31 F. 5. Ignatii de Loiola *d.*

AUGUSTUS

1 F. 6. Petri ad Vincula *d. m.* c. Pauli Ap. ac Machabaeorum.

2 S. Alphonsi *d.* c. Stephani I.

✠ 3 Dom. 11. p. Pent. 1. Aug. De ea *sem.* c. (*cum 9. l. ex 4. et 5. tant.*) Invent. Stephani. — *Inc. Parab. Salom.*

4 F. 2. Dominici *d. m.*

5 F. 3. Dedic. B. M. V. ad Nives *d. m.*

6 F. 4. Transfig. Dni *d. m.* c. Xysti II. et Soc.

7 F. 5. Caietani *d.* c. Donati.

8 F. 6. Cyriaci et Soc. *sem.*

9 S. Vigil. De ea, c. Romani — *vel* Vot. Imm. Concept. c. Vigil. et Romani.

✠ 10 D. 12. p. Pent. 2. Aug. Laurentii *d. 2. cl. cum oct.* c. Dom.

11 F. 2. De oct. *sem.* c. Tiburtii et Susannae. — *Inc. lib. Ecclesiastes*, ex Dom. praec.

12 F. 3. Clarae *d.* c. oct.

13 F. 4. De oct. *sem.* c. Hippolyti et Cassiani.

14 F. 5. Vigil. De oct. *sem.* c. Vigil. ac Eusebii. Miss. Vigil. c. oct. ac Eusebii.

✠ 15 F. 6 ASSUMPTIONIS B. M. V. *d. 1. cl. cum oct.*

16 S. Hyacinthi *d.* (*aliq. loc.* Rochi *d.*) c. 2 oct.

✠ 17 D. 13. p. Pent. 3. Aug. Ioachim *d. 2. cl.* c. diei oct. Laurentii ac Dom. tant. — In Vesp. com. oct. Assumpt., diei oct. Laurentii, Dom. ac Agapiti. — *aliq. loc.* In Vesp. com. Hyacinthi, diei oct. Laurentii, Dom. ac Agapiti.

18 F. 2. De oct. Assumpt. *sem.* ll. 1. Noct. pr. c. Agapiti. — *aliq. loc.* Hyacinthi (*ass. ex 16 hui.*) *d.* c. oct. et Agapiti. — *Inc. lib. Sapientiae*, ex Dom. praec.

19 F. 3. De oct. *sem.*

20 F. 4. Bernardi *d.* c. oct. — *Inc. lib. Sapientiae*, ex Dom. praec. (*nisi huiusmodi Initium iam lectum fuerit*).

21 F. 5. Io. Franc. Fremiot de Chantal, *d.* c. oct.

22 F. 6. Oct. Assumpt. *d.* c. Timothei et Soc.

23 S. Vigil. Philippi Benitii *d.* c. Vigil.

✠ 24 D. 14. p. Pent. 4. Aug. Bartholomaei *d. 2. cl.* c. Dom. *Romae.* De ea *sem.* — *Inc. lib. Ecclesiastici.* — *aliq. loc.* (ubi fest. S. Barthol. cel. die 25) Purissimi Cordis B. M. V. *d. m.* c. Dom.

25 F. 2. Ludovici *sem.* (in Gallia *d.*) — *Inc. lib. Ecclesiastici*, ex Dom. praec. — *Romae* † Bartholomaei *d. 2. cl.*

26 F. 3. Zephyrini *simp.* — *vel* Vot. App. c. Zephyrini. — *Romae* Ludovici *sem.* c. Zephyrini. — *aliq. loc.* (ubi fest. S. Barthol. cel. die 24) Purissimi Cordis B. M. V. (*f. 24*

hui.) d. m. c. Zephyrini.
27 F. 4. Ioseph Calasanctii *d.*
28 F. 5. Augustini *d.*c.Hermetis.
29 F. 6. Decollat. Ioannis Bapt. *d. m.* c. Sabinae.
30 S. Rosae Limanae *d.* c. Felicis et Adaucti. (Hoc anno omitt. Dom. 5. Aug. cum sua hebdom.)

Incipit pars autumnalis Breviarii.

✠ 31 D. 15. p. Pent. 1. Sept. Raymundi Nonnati *d.* c. Dom. — *Inc. lib. Iob.*

SEPTEMBER

1 F. 2. Aegydii *simp.* c. Duodec. Fratrum — *vel* Vot. Angel. c. Aegidii et Duodec. Fratrum.
2 F. 3. Stephani Reg. *sem.*
3 F. 4. De ea (RR. ex 1. Noct. Dom. praec.) — *vel* Vot. Ioseph.
4 F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacram. — *In Stat. Eccl.* Rosae a Viterbio *d.*
5 F. 6. Laurentii Iustiniani *sem.*
6 S. De B. M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept.
✠ 7 D. 16. p. Pent. 2. Sept. De ea *sem.*
✠ 8 F. 2. NATIVITATIS B. M. V. *d. 2. cl. cum oct.* c. Hadriani in Laud. et Miss. priv.
9 F. 3. De oct. *sem.* c. Gorgonii.
10 F. 4. Nicolai a Tolentino *d.* c. oct.
11 F. 5. De oct. *sem.* c. Proti et Hyacinthi.
12 F. 6. De oct. *sem.*
13 S. De oct. *sem.*
✠ 14 D. 17. p. Pent. 3. Sept. Exaltat. Crucis *d.m.* c.Dom.et oct.
15 F. 2. Oct. Nativ. B. M. V. *d.* c. Nicomedis.
16 F. 3. Cornelii et Cypriani *sem.* c. Euphemiae et Soc. — *Inc. lib. Tobiae*, ex Dom. praec.
17 F. 4. QUAT. TEMP. Impressio Stigmat. Francisci *d.* c. fer.
18 F. 5. Iosephi a Cupertino *d.*
19 F. 6. QUAT. TEMP. Ianuarii et Soc. *d.* c. fer.
20 S. QUAT. TEMP. Vigil. (de qua nihil in Off.) Eustachii et Soc. *d.* c. fer. (In Miss. 3. or. Vigil.)
✠ 21 D. 18. p. Pent. 4. Sept. MATTHAEI *d. 2. cl.* c. Dom.
* 22 F. 2. Thomae a Villanova *d.* c. Mauritii et Soc. — *Inc. lib. Iudith*, ex Dom. praec.
23 F. 3. Lini *sem.* c. Theclae.
24 F. 4. B. M. V. de Mercede *d. m.*
25 F. 5. Nominis B. M. V. (*f. 14 hui.*) *d. m.*
26 F. 6. Cypriani et Iustinae *simp.* — *vel* Vot. Passionis, c. Cypriani et Iustinae. — *Inc. lib. Esther*, ex Dom. V. Sept.
27 S. Cosmae et Damiani *sem.*
✠ 28 D. 19. p. Pent. 1. Oct. VII Dolorum B. M. V. *d. m.* c. Dom. et Wenceslai.
29 F. 2. (Romae ✠) DEDIC. MICHAELIS ARCHANG. *d. 2. cl.*
30 F. 3. Hieronymi *d.*

OCTOBER.

1 F. 4. Remigii *sem. ad libit. vel simpl. de praecepto* (in Gallia *d.*) — *Inc. lib. I. Machab.* ex Dom. praec.
2 F. 5. Angel. Custod. *d. m.*
3 F. 6. De ea (RR. ex 1. Noct. Dom. praec.) — *vel* Vot. Passionis.

4 S. Francisci *d. m.*

✠ 5 D. 20. p. Pent. 2. Oct. Rosarii B. M. V. *d. 2. cl.* c. (*Romae* Gallae) Dom. (ac Placidi et Soc. in Laud. et Miss. priv.)

6 F. 2. Brunonis *d.*

7 F. 3. Marci *simp.* c. Sergii et Soc. — *vel* Vot. App. (*Romae.* Vot. Petri et Pauli) c. Marci ac Sergii et Soc.

8 F. 4. Birgittae *d.*

9 F. 5. Dionysii et Soc. *sem.*

10 F. 6. Francisci Borgia *sem.*

11 S. De B. M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept.

✠ 12 D. 21. p. Pent. 3. Oct. De ea *sem.* — *aliq. loc.* Maternitatis B. M. V. *d. m.* c. Dom.

13 F. 2. Eduardi *sem.*

14 F. 3. Callisti I. *d.*

15 F. 4. Teresiae *d.*

16 F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacram.

17 F. 6. Hedwigis *sem.*

18 S. Lucae *d. 2. cl.*

✠ 19 D. 22. p. Pent. 4. Oct. Petri de Alcant. *d.* c. Dom. — *Inc. lib. II. Machab.* — *aliq. loc.* Puritatis B. M. V. *d. m.* c. Petri de Alcant. et Dom.

20 F. 2. Ioannis Cantii *d.* — *aliq. loc. Inc. lib. II. Machab.* ex Dom. praec.

21 F. 3. Hilarionis *simp.* c. Ursulae et Soc. — *vel* Vot. App. (*Romae* Vot. Petri et Pauli) c. Hilarionis ac Ursulae et Soc.

22 F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph.

23 F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacram. — *Romae.* Redemptoris *d. m.*

24 F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis. — *aliq. loc.* Raphaëlis Archang. *d. m.*

25 S. De B. M. in Sabb. *simp.* (*vel* Vot. Imm. Concept.) c. Chrysanthi et Dariae.

✠ 26 D. 23. p. Pent. 5. Oct. De ea *sem.* c. Evaristi. — *Igitur Eleazarus.*

27 F. 2. Vigil. De ea, ll. hom. (rr. fer. 2.) — *vel* Vot. Angel. c. Vigil. — *Mortuo itaque.*

† 28 F. 3. Simonis et Iudae *d. 2. cl.*

29 F. 4. De ea — *Mortuo itaque*, ex fer. 2. praec. (rr. fer. 4.) — *vel* Vot. Ioseph. — *Antiochus autem*, ex fer. 3. praec.

30 F. 5. De ea — *Antiochus autem*, ex fer. 3. praec. (rr. fer. 5.) — *vel* Vot. Sacram. (ll. fer. 5.)

31 F. 6. Vigil. De ea, ll. hom. (rr. fer. 6.) — *vel* Vot. Passionis, c. Vigil.

NOVEMBER.

✠ 1 S. OMNIUM SANCTORUM. *d. 1. cl. cum oct.*

✠ 2 D. 24. p. Pent. 1. Nov. 4. p. Epiph. De ea *sem.* c. oct. — *Inc. Ezechielis.*

3 F. 2. De oct. *sem.* Comm. omn. Defunct. *d.*

4 F. 3. Caroli *d.* c. oct. ac Vitalis et Agricolae.

5 F. 4. De oct. *sem.*

6 F. 5. De oct. *sem.*

7 F. 6. De oct. *sem.*

8 S. Oct. omnium Ss. *d.* c. Quatuor Coronat. (Hoc anno omitt. Dom. 2. Nov.)

✠ 9 D. 25. p. Pent. 3. Nov. 5. p. Epiph. Dedic. Basilic. Salvatoris *d. m.* c. Dom. et Theodori.

10 F. 2. Andreae Avellini *d.* c. Triphonis et Soc. — *Inc. lib. Danielis.*

11 F. 3. Martini *d.* c. Mennae.

12 F. 4. Martini I. *sem.*
13 F. 5. Didaci *sem.* — *In Italia* Stanislai Kostka *d.*
14 F. 6. Iosaphat *d.*
15 S. Gertrudis *d.*
✠ 16 D. 26. p. Pent. 4. Nov. 6. p. Epiph. De ea *sem.* (*In Italia* c. Didaci, *ass. ex 13 hui.*)—*Inc. lib. Osee.*
17 F. 2. Gregorii Thaum. *sem.* (Romae *d.*)
18 F. 3. Dedic. Basilic. Petri et Pauli *d. m.*
19 F. 4. Elisabeth *d.* c. Pontiani — *Inc. Ioël*, ex fer. 3. praec.
20 F. 5. Felicis de Valois *d.* — ll. 1. Noct. 1. *Inc. Amos*, 2. *Inc. Abdias*, ex fer. 6. seq. 3. *Inc. Ionas*, ex Sabb. seq.
21 F. 6. Praesentationis B. M. V. *d. m.*
22 S. Caeciliae *d.*
✠ 23 D. 27. ult. p. Pent. 5. Nov. Clementis I. *d.* c. Dom. ac Felicitatis.
24 F. 2. Ioannis a Cruce *d.* c. Chrysogoni — ll. 1. Noct. 1. *Inc. Michaeas*, ex Dom. praec. 2. et 3. *Inc. Nahum.*
25 F. 3. Catharinae *d.* — *Inc. Habacuc.*
26 F. 4. Silvestri *d.* c. Petri Alexandrini — *Inc. Sophonias.*
27 F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacram. — *Inc. Aggaeus*— *In Stat. Eccl.* Patrocinii B. M. V. (*f. 9 hui.*) *d. m.*
28 F. 6. De ea — ll. 1. Noct. 1. et 2. *Inc. Zacharias*, 3. *Inc. Malachias*, sed *in Stat. Eccl.* 1. *Inc. Aggaeus*, 2. *Inc. Zacharias*, 3. *Inc. Malachias.* — *vel* Vot. Passionis — *Inc. Zacharias*, sed *in Stat. Eccl.* 1. *Inc. Aggaeus*, 2. et 3. *Inc. Zacharias.*
29 S. Vigil. De ea, ll. hom. (RR. f.r. 4.) c. Saturnini — *vel* Vot. Imm. Concept. c. Vigil. et Saturnini — *Inc. Malachias.*

Incipit pars hyemalis Breviarii.

CRAS CLAUDUNTUR NUPTIAE.

✠ 30 D. 1. ADV. *1. cl. sem.* « Cessant Suffragia ».

DECEMBER

1 F. 2. ANDREAE (*f. heri*) *d. 2. cl.* (Dieb. fer. per tot. Adv. in Off. 9. Lect. fit com. fer.)
2 F. 3. Bibianae *sem.*
3 F. 4. Francisci Xav. *d.*
4 F. 5. Petri Chrysologi *d.* c. Barbarae.
5 F. 6. De ea, c. Sabbae — *vel* Vot. Passionis, c. Sabbae.
6 S. Vigil. (de qua nihil in Off.) Nicolai *d.* (In Miss. 3. or. ac Ev. Vigil.)
✠ 7 D. 2. ADV. *2. cl. sem.*
✠ 8 F. 2. IMMAC. CONCEPT. B. M. V. *d. 1. cl. cum oct.*
9 F. 3. Ambrosii (*f. 7 hui.*) *d.* c. oct.
10 F. 4. De octava, *sem.* c. Melchiadis — *In Stat. Eccl. et aliq. loc.* Translat. Almae Domus B. M. V. *d. m.* (In regione Picena *d. 1. cl. cum oct. quae suspendit. usq. ad diem 16, et terminat. ad Non. eiusd. diei*) c. Melchiadis *extra reg. Picen. tant.*
11 F. 5. Damasi I. *sem.* c. oct.
12 F. 6. De oct. *sem.*
13 S. Luciae *d.* c. oct.
✠ 14 D. 3. ADV. *2. cl. sem.* c. oct.
15 F. 2. Oct. Imm. Concept. B. M. V. *d.*
16 F. 3. Eusebii *sem.* (*In reg. Pi-*

cena addit. c. oct. Translat. Domus Lauret. in Laud. et Miss. tant).

17 F. 4. Quat. Temp. De ea « Cessant Off. votiv. » — *O Sapientia.*

18 F. 5. De ea — *In Stat. Eccl. Veneto et Hispano* Expect.Part. B. M. V. *d. m.* — *O Adonai.*

19 F. 6. Quat. Temp. De ea — *O Radix.*

20 S. Quat. Temp. Vigil. (de qua nihil in Off.) De fer. In Miss. 2. or. Vigil.— *O Clavis.*

✠ 21 D. 4. Adv. *2. cl.sem.*—*O Oriens.*

22 F. 2. Thomae (*f. heri*) *d. 2. cl. O Rex.*

23 F. 3. De ea — *O Emmanuel.*

24 F. 4. Vigil. Nativ. De ea *simp.* Ad Laud. et deinc. *d.*

✠ 25 F. 5. Nativitatis D. N. I. C. *d. 1. cl. cum oct. priv.*

† 26 F. 6. Stephani *d. 2. cl. cum oct.* c. oct. Nativ. — *aliq. loc.* c. omn. Mm. et oct. Nativ.

† 27 S. (Romae ✠) Ioannis *d. 2. cl. cum oct.* c. octavar.

✠ 28 D. (*vacat*) Innocentium *d. 2. cl. cum oct.* c. octavar.

29 F. 2. Thomae Cantuar. *d.* c. octavar.

30 F. 3. De Dom.infra oct. Nativ. *sem.* c. octavar. — *Inc. Ep. ad Romanos.*

† 31 F. 4. Silvestri I. *d.* c. octav. in Laud. et Miss.

Hodie et Anno insequenti 1903 litera Martyrologii erit b *parva.*

RECENSIO

Libellus nuper prodiit, cui titulus: « Le sainte Brèviaire et son avenir », quem conscripsit R.mus Antistes Annecyensis. Tenuissimae licet molis, viginti enim tribusque paginis vix constat, notitiam de eo afferre lectoribus opportunum iudicamus, quippe qui de Breviario agit, et gravitate praestat.

1. Necessitate orandi statuta ac brevius probata, innuit precandi formulas, quarum mutatio Ecclesiasticorum mentes invadere posset. Primam orandi formulam omnes edocuit per *Pater noster* Christus Dominus: aliam vero, quae cum Deo conversandi rationem constituit, Ecclesia suppeditavit per psalmos, quibus ipsemet Dei Filius usus fuit, praeter Apostolos Sanctosque Patres, qui et plurimis illos laudibus affecerunt. Psalmodia quoque fuit ab Ecclesiae exordiis in ore Christifidelium, eorum maxime, qui ad Sanctuarium conscendere peroptabant, et omnes impraesenti in sortem Domini vocati psalmos prae manibus habere conspiciuntur. Sacerdos reapse pro Sacro offerendo: quid Missa? Oratio suprema, et tamen Sacrificium eucharisticum velut

aureola Officio circumdatur. Quid Officium, nisi psalmi, prae partibus reliquis?

At, proh dolor! Psalmodia, electi iam popoli thesaurus, christianorum in publicis conventibus, virorumque Ecclesiae, seu saecularium, seu regularium, satis imminuta, temporum tristitia inspecta, deploratur. Canonicorum Collegia in Cathedralibus administrative tantum existere diceres, in Collegiatis finem propemodum habet, innumeri Monachorum chori aut cessarunt, aut iis misera fuerunt Oratoria suffecta. Qui autem ex Regularibus supersunt, raro, imminuti numeri causa, chorali Officio impensam dare operam valent (1). Ergo ne huiusmodi laus, quam Spiritus Sanctus in ore hominum posuit, antiquitatis remanebit monumentum, aut vestigium? Minime gentium. Caelites divinas laudes e terris indesinenter audient: Sacerdos Officium recitat, et iugiter honorificabit Dominum Sacrificium laudis, quo Sacrificium aliud, altaris nempe, praeparatur, consociatur, perficitur.

Utinam Officii excellentiam, dignitatem virtutemque cuncti intelligerent Sacerdotes! Haud ponderi profecto, gravamini verteret tot recitantibus, sed vero voluptati, solamini. Unde nihilominus oppositum derivat? Ex aliis arbitramur, precationum formulis, in quibus se placent Sacerdotes. Hoc verum unde gentium?

E distributione psalmorum infra hebdomadem, paucis namque exceptis qui frequentius ac fere quotidie, plerique, aut raro, aut vix recitandi infra annum occurrunt: cum nihilominus antiquissima constet Ecclesiae voluntas, integrum in hebdomada recitandi psalterium. Inde monotonia, quae, pluribus de causis, psalmorum mutatione continua, evanesceret.

Duplicis ritus multiplicatis festis Calendaria redundant: feriae negliguntur: Officia amittunt Dominicae: praecipuisque vix servatis, quid de reliquis? Idem proinde fateri de Homiliis cogeris, maxime quae ad Confessores Pontifices et non Pontifices pertinent. Spiritus tamen praesentis aetatis eiusmodi profecto est, ut eum vix abruptae resumendaeque taedeat repetitionis: hinc Breviarium, antonomastice Oratio, in gravamen

(1) R.mus Antistes peculiariter de Gallia verbum facit: sed in aliis quoque mundi partibus id comprobari, nemo inficias ibit.

commutatur: ut, recitantium infirmitate posita, an benedictiones attrahere, an potius repellere natum fiat, ipsimet Ecclesiae viri referant.

Nec fortasse longe est a veritate, fallacem inde consecutam esse ideam quorumdam, qui tenent Breviarium iam cursum sui temporis explevisse, actuosamque se illi suffecisse vitam. Hinc exemptionis privilegium quaeritant, operum se dicentes torrente obrutos: quos quidem nobis adversantes libenter atque ex intimo corde appellamus, reicimus. Divinas hi humanis rebus postponunt: homines diceres caelum oblitos, sapientes terram, opifices, artifices, conductores. Ecclesiarum curant muros, in quibus sequacem norunt materiam, viva negligunt Dei templa quibus medendis labor et dolor; operam temporum negotiis impendunt, in animarum rebus indormiunt. Quae super naturam sunt in naturalia commutant: ut si eos concionantes audias, nonnisi civiles disceptationes, sociales theses, errores saeculi apprehendas, Evangelio seposito. Breviarii taedio confecti Sacerdotes, terrae ineptiis tricisque vanis, molestia affecerunt et populum.

Heu nobis! Christus Dei Filius, pro nobis egenus factus, humilis, saturatus opprobriis, crucifixus, ubi hoc verbum salutis? Id unum, quod sciebat apprime Apostolus, eiusmodi Sacerdotes nesciunt vel prae timore annuntiare non audent.

At Christus Dei virtus est: Fidelium vitam supereminens illius, eiusque gratiae participatio constituit: eâque nonnisi refert¡ Ministri Domini munere fungentur suo. Haec vita, haec virtus illorum: studere fas est, loqui, operari, scribere, se gerere, uti Sacerdotes. Hos inter esse, servari peroptamus, volumus.

Quo subsidio? Continua, quam Psalterium exibet, vitali Oratione. Sed Breviario potior donanda vita, ut pristinum suumque honoris locum in corde Sacerdotis obtineat. Fieri ne potest, ut tantus Codex reviviscat? Non dubitandum. Ritui simplici multa restituantur festa, ad duplicem iam evecta. Hac sola ratione duobus, quae notavimus, incommodis, eorumdem psalmorum Homiliarumque repetitioni continuae, imponetur finis.

Haud profecto novum Votum hoc, quod promimus. Tribus abhinc saeculis, alicuius mutationis in Calendario S. Pius V. necessitatem agnovit: idea, quae iterum Benedicti XIV aetate

revixit. Episcopi plures a Pio Pp. IX ea super re exquisiti, psalmorum omnium frequentiorem recitationem peroptandam reposuere. Congruum videtur advenisse tempus, ut multiplicibus invectis festis feriae praevaleant: quod duplicia impedita ad simplicium instar reducta demonstrant.

Obiicies fortasse, ad Summum Pontificem spectare negotium, ut de eo disserere idem ac tempus conterere videatur. Verum illud, non ita res ista se habet: solemne enim semper Pontificum fuit Sacerdotalis ac maxime Episcopalis Ordinis optata, petitiones, preces audire. Haec Immaculatae Conceptionis Dogma definitum, haec in Sacratissimum Cor Iesu devotionem, haec pro Servis Dei cultum altarium, aliaque praecesserunt. Quid nostrum ergo est, nisi petere, deprecari, suppliciter exorare? Quod nos, et plurimi, praeter Episcopos, sentiunt Sacerdotes: cum Ordinariis suis se aperiant: horum est ad S. S. deferre vota, quae, spes nobis affulget, exaudientur.

Haec, fusius quidem ac procul dubio efficacius, R.mus Anneciensis Antistes: de quibus gratulatorias litteras etiam a Purpuratis Patribus, multas accepit. Quid nos autem? Ut psalterii per hebdomadam distributio legitima comprobetur, honorisque locum feriae, contra quamplura duplicia, iterum, uti in antiquitate, recuperent, hoc vehementer et nos peroptamus.

QUAESTIO SOLVENDA

PRO MENSE MAIO 1901.

Utrum, vi Rubricae Gen. Missalis (*Tit. V, n. 1*), Sacerdos quisque teneatur aliquoties Missam celebrare generaliter pro defunctis, vel saltem pro defunctis commemorationem agere in Missa de die?

IMPRIMATUR
P. Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR
Ioseph Ceppetelli Archiepiscopus Myren. Vicesgerens.

Proprietas Literaria.

G.B. Agnolucci, gerente responsabile.

Roma — Tip. Partenopea, F.lli Amoroso, Campo Marzio, 46. int.